

Gent. 4. num. 30. ~~200~~
DISSE^TAT^O JURIS GENTIUM INAUGURALIS,
DE

EXEMPTIONE
LEGATORUM,
FORO CRIMINALI

EJUS
AD QUEM MISSI SUNT,
QUAM
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA
SUB AUSPICIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI SERENISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. FRIDERICI,
HASSIAE LANDGRAVII RELIQ.

AUTORITATE ET DECRETO
INCLYTI JURISCONSULTORUM ORDINIS
IN
ILLUSTRI ACADEMIA MARBURGENSI
PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
ET PRIVILEGIA RITE OBTINENDI

MAGNIFICI SENATUS ACADEMICI
EXAMINI PUBLICO

AD DIEM I. DEC. A. D^o CCC XL.

SUBMITTET
ABRAH. DANIEL CLAVEL DE BRENLES,
LAUSANNENSIS.



MARBURGI CATTORUM,
TYPIS PHIL. CASIM. MULLER, ACAD. TYPOGR.

EXEMPTIONE LEGATORUM PRO CIVITATI

A rationibus autem ordiemur, quas apud omnes prudentes valere maxime arbitror, cum vulgus tantum exemplis ducatur. GOD. GUIL. LEIBNITIUS *De Jure Suprematus ac Legationis Principum Germaniae Cap. IX.*

DN. FRIDERICI

HERZOG VON MECKLENBURG-SCHWERIN

PRO HEGEMATIA

SUAM ET UTICATEM HONORE

ABRAHAM DANIEL CLAVAI DE BRUNN

HERZOG VON MECKLENBURG-SCHWERIN

PRO HEGEMATIA

ABRAHAM DANIEL CLAVAI DE BRUNN

HERZOG VON MECKLENBURG-SCHWERIN

VIRO
NOBILISSIMO, GENEROSISSIMO,
CAROLO GUILIELMO LOYS
A BOCHAT,
PROPRÆFECTO LAUSANNENSI.
EVERGETÆ HUMANISSIMO

ABRAH. DANIEL CLAVEL DE BRENLES,

DE nomine, cui has studiorum meorum primitias inscriberem, nulla mihi proslus deliberatio fuit. Tot Tibi, Vir Generosissime, tantisque sum nominibus obnoxius, ut minima mentis dubitatio jam crimén fuisset. Summa sunt profecto & non unius generis Tua in me beneficia. Si quis enim unquam Præceptor intelligentissimo, Fautoripropensissimo, dignitatis ac fortunarum Amplificatori

DEDICATIO.

tori munificentissimo quid debuerit, me Tibi
id ipsum, & ultra quam ipse eloqui possum, de-
bere intime sentio publiceque testor. Perdi-
tus fere errabam in iis, quæ hodie seculum di-
cuntur, segnium animarum diverticulis, quum
inde vox Tua quasi divinitus audita atque ad-
miratio Tui me demum in viam reduxerint.
Hoc principium fuit & ardentissimi litterarum
amoris, quo exinde continuo flagravi, simul
& eximiorum, quibus me Tibi devinxisti,
meritorum. Mox autem Te optimo duce &
humanissimo, illa ex improviso in me gene-
rata scientiæ cupiditas in dies incrementa no-
va, indeque altas cepit radices. Incredibi-
lis profecto ardor semper fuit, quem in me
excitaverat solidissima Tua institutio ac ju-
cundissima. Non vero solum statis tempori-
bus, quando nos erudiebas, a Te profeci. Sem-
per enim consiliis atque directione sapientissi-
ma studiis meis Numinis tutelaris instar
præfueristi. Aditus ad Te licet occupatissimum
mihi nunquam fuit interclusus. Dubia, quæ
ingenii infirmitas generat, humanissime sem-
per exceperisti & solvisti. Quin & ipse, qui e-
rat infinitus Tuæ benevolentiæ modus, me ad
hæc audenda sæpe provocasti. Haustis autem
ex ore Tuo firmiterque positis nobilissimæ Ju-
ris

DEDICATIO.

ris Scientiæ , cui me totum addixeram , fundamen-
tis , accessiones ex aliis me capere voluisti ,
Te igitur auctore in hanc illustrem animarum
palæstram , Athenæum Marburgense , profe-
ctus sum. Hic mihi Viros illos & audire & pro-
pius admirari contigit , quorum nomina in fa-
stis Eruditæ Orbis æternum splendescunt. Plu-
rinia ex illis , Vir Nobilissime , in me pæne
adhuc extraneum contulisti. Hocque Tuum
humanissimum patrocinium studiorum meo-
rum rem potissimum respexit. Sed postquam
ad Te necessitudine quadantenus contracta
propius accessi , non studiorum duntaxat , ve-
rum etiam integræ sortis meæ curam suscepisti.
Cum enim nuper acerbissima fata expertus mœ-
rore maximo confectus jacerem , me non so-
lum sapientissima Tua consolatione erexisti , sed
consiliis operaque constanti juvisti. Quam sol-
licite etiam dignitati meæ , cum quidem abes-
sem , prospexit. Hæc sunt Tui in me immorta-
lia merita. Non ad exsolvendam gratiam , quam
poscunt , lucubrationem istam qualem cunque
Tibi meam hodie consecro , id enim equidem
non est in facultate mea ; sed quantum Tibi
debeam publice testari volo , voluntatemque
Tibi meam devinctissimam significare. Quod
officium si neglexissem , Teque in posterum

DEDICATIO.

instar Parentis non observarem & colerem,
ubinam gentium, nescio, invenirem piacu-
lum, quo adeo foedum ingrati animi vitium
expiare possem. Hæc autem beneficia me sin-
gulariter spectant. Quid si jam illa, quibus Or-
bis litterarii & nostros cives Tibi obstrinxisti,
respiciam! An etiam hæc contemplans notam
effugissem, si Tibi hoc grati animi devotique
cultus monumentum non posuisssem? Verum
ea latius ornatiusque explicari merentur. Id e-
quidem continuo tentarem, nisi rei dignitas,
epistolæ modus, Tuusque admirabilis pu-
dor animum gloriæ Tuæ studiosissimum co-
hiberent. Accipe ergo cum illa Tibi pro-
pria humanitate Vir Nobilissime levem i-
stam magni obsequii mei tesseram. Mu-
nusculi rationem ad Tuorum meritorum ra-
tionem non exquire, sed in eo æstimando fa-
cultatum tenuitatem duntaxat, voluntatemque
maximam specta. Vale, Vir Generosissime, habe-
asque persuasissimum me Deum T.O.M. sup-
plicem venerari, ut Nestoreos, in litterariæ pu-
blicæque rei commoda, annos incolumis vi-
vas. Marburgi Cattorum K.L. Decemb.

A. O. R. clc Iccc xl.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Inter præclarissimæ Juris N. & G. scientiæ argumen-
ta locum haud ignobilem obtinet totum illud
de Legationibus earumque jure. **GROTIUS**
quum ipse apud Regem Christianissimum orator
fuisset, & summo præterea uteretur acumine;
haud mirum si etiam in illo optima præstiterit. Ante
eum quædam hic ineptrierant serviles, qui tunc flore-
bant, Juris Civilis cultores. Ætatem enim illam adhuc
latebat, Reges Gentesque liberas eo Jure regi, non
quod in ære Legislator, sed animis natura insculpsit.
Ex immenso illo omnis juris ac æquitatis thesauro, Cor-
pore Juris, multa præclara expromperunt, quæ mi-
rifice, ut illis videbatur, Legationum hodiernarum jura
& officia illustrabant firmabantque. Hinc quoties Le-
gati vox illis occurrit, illos toties videbis Ulpianum,
Paulum, Julianum, Martianum & alios, quorum
fragmenta hanc in rem adhuc in Pandectis extant,
simul & Imperatorum Rescripta in Codice comprehen-
siva in medium producere. Quum vero ex illis
LL. confici non possent omnia, quæ requirit fœ-
cun-

PRÆFATIO.

cundum hoc argumentum; ipsis tamen aqua minime
hæsit. Tunc enim ad illam instruētissimam *brocardorum* officinam confugerunt, & in ea electa quædam perpolita Juris scita in subsidium vocarunt, iisque, tanquam micantibus punc̄tis, omnem tractationem consperserunt. Inde toties illos hic crepare audies, *privilegia ex Jure communi esse interpretanda, omnem honorem excludi reatu, & quæ sunt aliae hujus commatis elegantia plurimæ, quæ, tot oraculorum instar, integrum Legationis causam legitime, si illos audias, absolvunt.* GROTIUS autem præjudicii, ex quo omnes illæ eruditæ nugæ manabant, profligator feliçissimus frugem bonam glandis illius loco subministravit. Omnem Juris sive Publici, sive Privati quæstionem ad Juris Rom. decempedam exigendam esse negavit. Et eo minus ab illo Jure decisiones in Legatorum causis arcessendas esse contendit, quod inter Legatos nostros & illos, de quibus plerumque LL. Rom. loquuntur, longa intercurrat distantia. Illi enim erant Provinciales & Municipales Legati, qui ipsi Rom. Imperii subditi erant; eosdem nostri vocant *Deputés*. Sed ipse Vir summus, qui, meo judicio, omnes Juris N. & G. ad hunc usque diem scriptores longissimo post se intervallo reliquit, ipse, inquam, etiam hic quid humani passus fuit. Quod sane minime mirandum, si modo cogitemus, humana hæc nonnisi progressu temporis perfici. Sunt itaque in illo nobilissimo de Legationum jure argumento quædam luce & certitudine post maximi illius Magistri curam adhuc indigentia. Inter illa eluet gravissima disputatio de Legatorum a Foro loci, ubi agunt, Criminali præsertim, exemptione. Optima sunt maximam partem illa, quæ hic GROTIUS protulit. Sed stabilitate digna

PRAEFATIO.

gna illa non munivit. Qui vero bene homines novit, ille facile mecum agnoscat, non in Jure G. tantum, sed in moralibus in genere satis nondum præstitum fuisse quum vera traduntur, sed insuper adhuc veritatem eorum in tanta luce esse ponendam, ut prætextibus omnibus, sicuti funesto majorum fonti, omnis prorsum subtrahatur locus. **G R O T I O** fraudi hic fuit illa, quam in Juris G. leges inquirendi elegerat, via. Ex observatione nimirum ejus, quod inter populos usu invaluerat, sententiam plurimum suam collegit. Sed miram inter Gentes, quod ipse testatur, circa Legationum jura diversitatem notaverat. Hinc in illam opinionem incidit, Legatorum immunitates nullam in Jure Necessario habere rationem, sed illas esse hominum voluntati solum adscribendas. Satius vero forsan erit, ejus sententiam ex ipsius verbis hic apponere. Postquam dixisset quæstionem hanc varie a claris hujus saeculi ingenii fuisse tractatam, paulo inferius subjungit; *Rationes, quas pro se quisque afferunt, nihil definite concludunt, quia jus hoc, non ut jus naturale, ex certis rationibus certo oritur, sed ex voluntate Gentium modum accipit (a).* Cum autem quæstio illa & propter gravitatem & propter frequentissimas, quæ hodie florent, Legationes digna esset, ut in illa vires ingenii periclitarentur Viri Docti, immensa quoque fuit scriptorum cohors, qui in hunc excurrere campum. Omnes vero pari cum successu arma non tractasse, docet ingens eorum dissensus, simul & ingeniorum, quæ de suo sapient, raritas. Quanquam autem plurimi gregale duntaxat sagum sumplerunt, non defuerunt

) : () : (

runt

(a) *Jur. B. & P. L. II. C. XVIII. §. IV. num. 2.*

PRÆFATIO.

runt tamen omnino viri doctrinæ ingeniique laude
clari, qui egregia quæque hic præstiterunt. Quid
ergo? Nonne jam illud argumentum est exhaustum?
An vero ego, qui illud differendi theatrum iterum
eligo, exscribillatorum enumerationem, jam satis pro-
lixam, nomine meo augeri cupio? Vel forsan glo-
riolæ vanus sectator ad celebritatem per impugna-
tiones ambitiosas contendere volo? Neutrum horum
de me existimari mehercule vellem. Æquos etiam
& intelligentes rerum arbitros aliud sensuros confi-
do. Illi enim bene norunt multum abesse, quin pul-
cherrima illa Legationum juris pars, tractatio scilicet
de Legatorum a foro criminali exemptione, luce
digna fulgeat, vel inexpugnabili rationum munimine
vallata fuerit. Ideoque Clarissimi Scriptores haud ob-
scure de dubiis, quibus implicatur adhuc illa mate-
ria, testantur. Duobus ex recentioribus simul & gra-
vissimis testimonium denunciabo. Prior est JACOB.
AUG. FRANCKENSTEIN in Oratione Inaugurali *de*
Jure Legationum dubio, quam Lipsiæ, cum Juris N.
professionem auspicaretur, habuit. Inscriptio ipsa id,
quod ex hujus Viri testimonio confidere intendi, sa-
ris declarat. Alter, cuius autoritas longe major, si
nominis famam & exquisitam in omni Juris scientiæ
parte doctrinam spectes, est CORNEL. van BYN-
CKERSHOEK JCtus famigeratissimus & supremi Hol-
landiæ Senatus Præses in eximio opere *de Legatorum*
Foro Competente. Eum omnibus, qui in hanc de-
scendere arenam, palmam præripuisse uno ore ab E-
ruditorum Senatu est judicatum. Me quoque ex illo
in mea Diatribe concinnanda multum profecisse lu-
benter fateor. Sed ipse V. A. si multa, non omnia
tamen sanavit. GROTIUM ducem tanquam optimum
con-

PRÆFATIO.

consulto sibi elegit. Inde etiam sæpius profecto, quam omnes alii, rem acu tetigit. Qum vero iisdem, quibus GROTIUS, fundamentis ædificaverit; opus sane, quod inde extitit, satis constabiliū firmumque esse nequivit. Incerta illa ancepsque statuendi ratio non uno in loco operis hujus apparet. Sæpe enim in utramque contradictionis partem de gravissimis speciebus acute disserit. Quum autem argumentorum pondus utrobique idem videretur, hinc etiam rationis tribunal fere semper, uti fecerat GROTIUS, rejicit. Rem totam exemplis absolvendam putat. Sed hic quoque Gentium facta non semper bene consonantia invenit. Quin in omnibus speciebus illa non suppetebant. Non mirum igitur, si nonnunquam vacillet V. C., sententiamque palam & rotunde non semper efferat. Hunc ejus animi situm in aprico ponunt notabilia ista verba, quæ laudatum concludunt opus: *Vides, Lector, quot Capita, tot fere sententias; tuum erit in hoc deprepliantum hominum certamine discernere, quis justius induit arma.* Quo tamen damno sit gravissimæ cause illa Tanti Viri fluctuatio, non unus cordatus jam significavit. Sed nemmo adhuc, quantum ipse scio, malo mederi tentavit. Audio equidem V. C. JOH. BARBEYRACIUM Opus illud BYNCKERSHOECKIANUM in Gallicum idioma vertisse, notasque ipsi subjunxit. Quo majoris ea, quæ Erud. A. protulit, facio, eo magis quoque doleo, quod hujus libri copia mihi fieri non potuerit. Editurus itaque academicæ diligentiaæ specimen, vexatissimam hanc de Legatorum Foro Criminali quæstionem viribus experiundis elegi. Ex GRO-TIO & BYNCKERSH., quæ ab illis mihi bene dicta visa sunt, excerpsti. Casus, quos non attigerant, ad-

):():(2

didi.

PRAEFATIO.

didi. Et, in quo studium præcipuum viguit, illa omnia cum immotis Juris Gentium Necessarii principiis connectere tentavi. Verissime enim mihi jam judicasse videtur Romanus Orator sentiens: *Jus Legatorum cum hominum praesidio munitum sit, tum etiam divino jure esse vallatum* (b). Ne denique mea, tanquam splendidæ hominum umbraticorum de virtute disputationes, nullius extra porticum in luce Reipub. vi-derentur usus; ideo sollicite theoriam traditam in omnibus partibus luculentis exemplis & iis præsertim, quæ recentior suppeditat ætas, communivi. Ceterum omnia indulgentiae & humanitati perspicacis ac æqui Lectoris committo, Illumque, ex animo, valere jubeo.

(b) Orat. de Haruspic. Resp. C. XVI.



DISSE



DISSERTATIO JURIS GENTIUM
INAUGURALIS,
DE
LEGATORUM EXEMPTIONE
A FORO CRIMINALI EJUS AD QUEM
MISSI SUNT.

§. I.

Si unquam egregia disciplinarum bono excogitata fuit fictio; illa sane talis est, qua inter prima Juris Gentium fundamenta præfulget. Illam puto, vi cuius *Gentes*, ad instar personarum moralium spectatæ, personis simplicibus seu individuis physicis, in statu naturali viventibus, æquiparantur. Cum vero illa, notionibus ipsis consentientibus præstante utilitate id suadente, ab omnibus majorum gentium

A

tium

tium J. N. Scriptoribus hodie jam adoptetur (*a*); quin illam hic sumere possim, nullus prorsus dubito. At enimvero leges naturæ, quibus reguntur personæ simplices, ex earum essentia & natura omnes derivantur. Hinc juxta immotum reducuntis principium (*b*) *Jus Naturæ in Jus Gentium necessarium, mutato duntaxat nomine, transitivitatem, haud est quod miremur.*

Scholion. Quam eximium in Gentium officiis juribus ve eruendis ac demonstrandis usum illud artificium præster, vel parum attenti advertent. Verum insigne eriam est aliud ac non prætermittendum, quo has morum disciplinas ditavit, commodum. Nam hujus præclaræ fictionis ope celebratum olim *Jus illud Gentium arbitrarium seu voluntarium*, ex disciplinis moralibus *injuria pulsum diuque neglectum exulans*, jam pristinas sedes oppressaque dignitatem pleno jure quasi ex postlimio recuperare potest. *Jus illud primum, at non satis bene vallatum, in medium produxit magnus GROTIUS*, haud multo post impetravit *HOBESIUS*, omnesque ad unum quasi ex condicione sollicitarunt, qui securi sunt, *Juris naturæ scriptores*, nec cessarunt, donec tandem prorsus pro profigato habererentur. Sed iniquorum conaturum inanitatem jam monstrare licet. *Prædicta nempe fictionis subficio lucidissima indubiaque veritatis forma indutum Jus illud jam tuto reproduci potest.* His enim perspicillis distinctius perspicere licet totum illum inter Gentes omnes intercedentem juris nexum. Jam cernis illam maximam civitatem, quam conficiunt personæ illæ morales, quæ in statu naturali juxta se invicem vivunt, & vivere tenentur. Gentes singulas tamquam tot hujus universitatis membra clare distinguis. Civitatem illam majorem haud minus ac alias finem habere suum agnoscis. Illo vero fine assumpto & adminiculante universalis, leges civiles ex jure necessario condendi, theoria

(*a*) PUFFEND. *Jur. Natur. & Gent.* Lib. I. c. I. §. 13. Illustriss. WOLFF. *Politic.* P. II. C. I. §. 220. HENRICI KORNZER. *Diff. de indole fictionum heuristicarum* C. III. §. 64. seqq. KUNHOLD. *Diff. de statu naturali rerum publ.* Cl. JACKSTADT *Elem. Juris* G. L. I. c. I. §. 4. (*b*) III. WOLFF. *Ontol.* §. 187. 188.

ria jam te ad leges civitati illi Gentium ferendas accingere potes. Leges erunt haec arbitriæ, necessariam tamen rationem latricem habentes. Illarum complexus est quod *Juris Gentium* arbitrarii seu voluntarii nomine venit, Juri Gentium necessario contradistincti, sed ex illo tamen effici. Ecce solidum secundumque principium, quod & hujus Juris certitudinem, obligationem & principiis Juris naturæ politici subsidiantibus, leges speciales inveniendi, statuminandi ac in tuto collocandi, amplam facultatem largitur. Ne autem existimes, me inaudita loqui, cum de magna illa universitate generis humani Gentes singulas sub se complectente, verba facio; adducam tibi virum rerum publicarum rationes nexumque, quo inter se colligantur & cohærent Gentes, optimè callentem, M. DE CAILLIERES dans sa maniere de negocier avec les souverainez, sic inchoat Cap. II. „Pour bien connoître, de quelle utilité peuvent être“ les negociations; il faut considerer, que tous les etats, dont l'Europe est composée, ont entre eux des liaisons & des commerces nécessaires, qui font, qu'on peut les regarder comme des membres d'une même Republique, & qu'il ne peut presque point arriver de changement considerable en quelques uns de ses membres, qui ne soit capable de troubler le repos de tous les autres.“ Hæc leviter perfrinxisse scopo meo sufficit. Enim vero eum hæc pauca requisivisse disce. Etenim in isto, in quo nunc versamur, Legationum argumento, scriptores maximam partem ad Jus illud Gentium voluntarium, tamquam ad sacram anchoram, confugere videbis. Putas ne vero, illos Juris hujus sententiam, quam ipsi in caussis occurrentibus proferunt, ex ejus intestinis rationibus efformare? haud quaquam. Quid ergo? Ex omni scriptoribus Gentiumque annalibus myriades autoritatum ac testimoniorum, exemplorum & consuetudinum in medium producunt; eaque re strenue defensam egregieque circummunitam sententiam quam dixerunt, autem. Hinc delibata illa pauca opinioni huic opponere meo instituto alienum haud esse putavi.

S. II.

Jure Gentium necessario Gentes ad negotia multa inter se pertractanda obligantur. Jure enim Gentium A 2 necessa-

necessario Gentes ad id omne obligantur, quo earum felicitas salusque promoveri potest (*c*) (§. 1.). Hinc eorum ad amicitiias colendas, bella præcavenda, avertenda & placanda, commercia denique promovenda & propaganda, obligatio sponte sua fluit. Jam vero ex his omnibus tamquam ex fœcundissimo fonte mutuarum postulationum oblationumque abundantem segetem, pectorum ac foederum sanctiones, interpretationes ac explicationes, redintegrationesve, tractatus denique magno numero efflorescere vides. Quæ omnia aliaque multa, quæ hæc supponunt requiruntve, cum negotiorum nomine veniant, ex Jure Gentium necessario obligatio multa negotia perractandi inter se, quæ Gentes constringit, nemini amplius obscura esse potest.

§. III.

Quoniam autem negotia hæc multiplicia absque collocationibus congressibusve tractari nequeunt, eorum tamen perractationis necessitas in Jure Gentium necessario rationem suam habet (§. 2.); hinc itaque statim efficimus, congressuum collocationumve, ut *Gentium negotia perractentur, necessitatem in Jure Gentium necessario rationem suam habere*.

§. IV.

Gentes ipsas vel saltem illarum Rectores negotia, quæ ad communem felicitatem mutuamve utilitatem spectant, proponendi, tractandi, excutiendi atque definiendi causa convenire, inter res quæ moraliter fieri nequeunt merito refertur (*d*).

§. V.

(*c*) III. WOLF. Jur. natur. P. I. §. 280.

(*d*) STEVENS Europ. Hof. Ceremon. L. II. C. I. MARSELAER.
Legatus Diff. IV. BOECLER de congressu principum.

S. V.

Legatus est persona a Gente ad aliam missa, cum potestate omnia, quæ ipsa ibi executura fuisset, nomine ipsius peragendi, seu, quod perinde est, Minister publicus est à Gente ad aliam, negotia publica tractandi causa, missus.

Scholion. In eo omnibus mandatariis assimilatur Legatus, quod nempe nomine alterius res, quas hic peragere debuerit, exequatur. Sed Reipublicæ mittentis maiestas, quæ in Legato quodammodo resplendescere videtur, & quæ illi augusta invidendaque privilegia tribuit, longo insignique intervallo eum ab omnibus aliis rerum alienarum gestoribus separat. Hæc duo in illo, induculo nexo cohærentia, cave sis ne sejungas. Sin minus, adæquatum tibi deficiet principium, ex quo Legati officia ac privilegia deducere queas. Cœterum definitionem nostram cum illa, quam tradidit W^z QUEFORT (e), qui pro summo in hoc argumento magistri hodieque habetur, conferre juvat. Sic autem ille: „L' Ambassadeur est un ministre public, qu'un Souverain envoie à une puissance étran- gère, en vertu d'un pouvoir, de lettres de Creance, ou de quelque Commission, qui fasse connoître son caractère.“ In eo solum a nostra discrepat ea definitio, quod ad regulas Logices sollicitius nostram composuerimus. Ille vero, homo aulicus & præterea Gallus, rationis regularum severam custodiā nomine pedantismi rident & respuit. Audi illum ipsum de sua definitione judicium ferentem: „Je fais bien, que cette defini-“
tion n'a pas toutes les parties, dont elle devoir être com-“
posée; mais comme l'école n'étend pas sa juridiction sur la“
matière que je traite, aussi ne crois je pas, me devoir assu-“
mettre à ses loix & à ses règles. ibid.“ At vero character ille“
repræsentativus, qui ejus definitionem ingreditur, jam deter-“
minatur per illa, quæ primum in Legari notione concipiuntur.
Et Litterarum fidei seu Credentia necessitas minime assumi, sed
demonstrari debet. Cœterum definitionem nostram
ram fecundam experimur, ut ex illa totam Legationis doctri-“

A 3

nam

(e) L' Ambassadeur & ses fonctions L. I. Sæc. I. p. 3.

nam faciliter negotio deduci posse confidamus. Cum autem illa omnibus Legatis, cuius tandem sint nominis & dignitatis, conveniat, primi secundive ordinis, extraordinariis & ordinariis, Ambassadeurs, Commissaires-Plenipotentiaires, Députés extraordinaires, Envoyés, Résidens, Legats, Nonces & Inter-
nonces; cumque præterea splendida illa Legationis jura, quæ jam sumus explicaturi, in definitione rationem habeant suam; nemo mirabitur, si minime curemus distinctiones, quibus magis externo quam intrinseco respectu a se invicem secernuntur Legati.

§. VI.

Juris Gentium necessarii est Legatorum constitutio. Legati sunt personæ ad Gentis negotia apud aliam tractanda constituta (§. 5.), cum Gentes illa tractare ipse nequeant (§. 4.). Quia tamen illorum pertractionem Jus Gentium necessarium urget (§. 2.); hinc Juris illius non esse nequit Legatorum constitutio.

§. VII.

Quælibet Gens alterius Gentis commodis inservire, seu illi officia humanitatis præstare tenetur. Cum enim personæ singulares seu privati ad ea officia sibi invicem præstanta Jure Naturæ teneantur (*f*); & Gentes eadem obligatione erga se invicem adstringi necesse est (§. 1.).

§. VIII.

Jus Gentis, illa officia ab altera obtinendi, est jus imperfectum. Nemo enim hominum habet jus ad officia humanitatis alterum cogendi (*g*). Imperfectum itaque est jus homini ad officia humanitatis competens (*h*). Quin igitur imperfectum sit jus Gentis, officia humanitatis ab altera obtinendi, dubitari nequit (§. 1.).

§. IX.

(*f*) Ill. WOLF. Jur. natur. P. I. §. 672.

(*g*) Idem c. l. §. 658. (*h*) Phil. pract. univ. P. I. §. 237.

§. IX.

Jus humanitatis officia petendi, Gentis competens, est jus perfectum. Jus enim homini, ea officia ab alio petendi, competens est jus perfectum (i). Idem igitur inter Gentes obtainere debere, in aprico jacet (§. I.).

§. X.

Jus perfectum habere Gentem, ea expetendi, quæ ipso ab alia perfecte debentur, intellectis terminis unicuique patescer.

Scholion. Non deerunt forsan, qui hæc generalia principia intuitu scopi mei pro supervacaneis habentes, illud *age quod agis* hic mihi objicient. Sed si judges agere velint; causam, quæso, cognoscant. Legum certitudinis, quæstionis gravitatis, indigentia Juris Gentium completi systematis, ex quo illa citari potuerint, memores sequentia legant posteaque judicent.

§. XI.

Respublicæ vel earum Rectores, qui Legatos mittunt, eorum admissionem jure perfecto urgere possunt. Legati enim sunt personæ quæ Gentium negotia ipsarum nomine peragunt (§. 5.). Ea autem omnia ad petitiones, jus vel perfectum vel imperfectum pro objecto habentes, in genere reduci posse, pensitanti patebit. Enimvero ad utriusque generis expostulationes facientes jus perfectum Gentibus competit (§. 9. 10.). Quod cum exerceri, si Legati non admittantur, nequeat (§. 6.); jure perfecto legatorum admissio evidenter nititur.

§. XII.

Hinc patet, justam mittenti enasci belli causam aduersus illum, qui Legatos suos admittere detinet

(i) *Jur. nat. P. I. §. 904.*

Etat (k). Non itidem vero saltem promiscue, si postulatis ejus annuere nolit (l) (§. 1.).

Scholion I. Ex non attento, inter jus humanitatis officia perendi, & jus eadem obrinendi discrimine, omnes ad unum usque Juris N. DD. jus istud admissionis humanitatis, voluntatis, nequaquam vero necessitatibus esse pronunciant. Ita ut, si illos audias, justam bellii causam non præbeat admissionis recusatio. Momentosum illud discriben jam indicaverat GROTIUS (m). Sed distincte ac egregie pro more suo jus illud explicatum evictumque dedit Ill. WOLFIUS (n).

Scholion II. Quin alii, inter quos magni nominis viri comparent (o), ordinariorum Legatorum & Residentium admissioni præsidium etiam illud humanitatis admunt, urbanitati soli indulgentiae, quæ illorum respectu inter Gentes obtinent, tribuentes. Nullam autem huic opinioni solidorem, quam opponere possum, refutationem invenio, quam si appositissimum locum ex Juris Consultissimi & elegantissimi scriptoris DN. VAN BYNCKERSH. eruditio de *foro legatorum* opere, hic totum transcribam. „Nequidem apud veteres obtinuit illa „legatorum distinctio, quæ cum maxime celebratur, ut alii „sint extraordinarii, alii vero ordinarii. Extraordinarii, qua- „les olim erant omnes, mittuntur cum mandato certæ alicujus „rei agendæ, Ordinarii non unius, sed omnium rerum, at- „que adeo & explorandi ergo in amicorum aulis habentur. Sa- „ne murata Europæ conditio ordinariorum usum & utilitatem „introduxit. Romani veteres iis usi non sunt, quia parum „commercii cum exteris exercebant, neque ab hoste tantum si- „bi meruebant, imperii magnitudine & limitaneis castris tuti, „interdicto & quandoque cum exteris commercio, ac si arca- „na alterius imperii seruari displiceret l. 4. C. de commerc. „& mercator. Sed alia rerum facies esse cœpit, cum post ro- „mani

(k) Id. §. 1104. 1108. (l) Id. §. 1118. (m) Jur. B. & P. L. II. C. XVII. §. 3. (n) Jur. N. P. I. §. 904.

(o) GROTIUS Jur. B. ac P. Lib. II. C. XVIII. §. III. n. 2. Cel. THOMAS, Inst. Jurispr. div. L. III. C. IX. §. 25. & seq.

mani imperii finem plurimi principes quique sui juris, & plurimæ minutæ respubliæ exorta sunt, & cum late cœperunt servare commercia in alio fere imperio exercita, ubi vix turum est agere sine magnæ auctoritatis patrono, qui mercatorum defensorem agat. Ne dicam, metum quoque aetatum, & frequentes nomine publico querelas perpetuam feare legationis materiam præbere. Atque inde iis ordinariis legationibus nihil est frequentius, quibus solis ii principes non utuntur, quorum subditu, ut olim Romani, magis feso imperii sui limitibus continent (*p.*) Hucusque vir ampliss. Paullo euidem præcipitanter agunt, qui institutum aliquod Juris G. esse negant, quia perpetuum illud non fuit. Quasi objectum Juris Gentium necessarii semper esset constantis existentia. Nonne quoque Jus G. N. hypotheticum datur? At enim quæ pericula reipublicæ ab illis callidissimis exploratoribus non sunt extimescenda? Reconditissime quæque secreta ejus illis parescunt. Regionis situm & ubertatem, loca firma & quæ debilia sunt, imperii partes ægras & sanas, ejusque potentiae modum, virtutes ibi vigentes tam rogatas, quam militares, simul & nativa grassantiaque vitia, subditorum ingenia indolemque, imperantis denique animum, mores affectusque secretissimos acerrime rimantur, & ad suos tamquam Legationis distissimos fructus mittunt. Nulla denique consilia, ne gravissima quidem & quæ maxime ignorare deberent, illos latent. Ubi enim est prisca illa fides, quam auri argenteaque vis expugnare nequeat? Ubi tam muniris pudor severaque castitas, quam artificiosa aurataque blanditiae non debellent & flectant. Enimvero ea licet forsitan verissime dicta me minime movent. Puto enim rei optimæ usum ob abusum tollendum non esse. Ultimum denique, quod adversus Legationum assiduarum admissionem proponunt earum osores, speciosius videri poterit. Inde enim & ex longa Legatorum in regione commoratione arcessunt illam morum peregrinorum, sœpe perversorum, disseminationm & dominatum. Malorum deinde, quæ hinc affluenter manant, longam pertexunt seriem. Huic adscribunt priscae illius fidei, castitatis, temperantiae morumque simplicitatis,

B forti

(*p.*) Cap. I, p. 1. 2.

fortitudinis & ceterarum Sæculi aurei virtutum, quarum laude multæ Gentes antea eminebant, totam fere extictionem. Inde, inquiunt, indignum illud processit, quod Gentes sapientiam patriam deserant, exotericamque induant stultitiam, laudes proprias cum alieno viuperio commutent, & paucissimi hodie sint populi, qui moribus permixtis non vivant. Ingenteum corruptelæ illius perniciem maximaque inde per omnes fere Reipublicæ partes grassantia incommoda minime negabo; Sed an a Legationibus illa sint derivanda, non ita recte dici possit arbitror. Etenim vidimus unius Populi solum mores efferos luxuriososque alios invadere; ad ejus habitum duntaxat vitæque totius cultum tenquam ad optimum modorum exemplum, elegantiorisque luxuriei diligentissimum interpres totus fere fæse componit orbis. Ille tamen non solus est, qui Legatos mittat. Dicendum verius, magis ad jocos inanæ splendidasque phaleras homines inclinare, quam ad ferias virtutes animique magnitudinem veram. Non obstabunt igitur objectiones illæ, quin de omnibus Legatis, tam ordinariis, quam extraordinariis valeant, quæ de Legatorum admissione evicimus. Unum adhuc monendum supereft, dubii discutiendi gratia, quod hic forsitan subnasci posset. Dixi, ad Legatorum admissionem jus perfectum competere mittenibus. Quod cum omnem exceptionem repellat, quidam forsitan exinde consequi sibi videre videri posset, quemcumque Legatum esse admittendum. Hinc, inquiet, admirtere tenemur Legatum, qui ab aperio armatoque hoste venit? qui, cum sapissime fidem sanctissime datam nefarie fregerit, perfidia sua nos certos efficerit? qui ad motus apud nos ciendos, rebellionem bellaque intestina accendenda mittitur? qui infamiae nota laborar, vel cuius electio contemptu nostri comparata fuit? Hic subfiftit. Absurdorum enim sat hic esse puto, ut ad Anticyram relegeretur ille, qui propositionem, unde progerminant, admitteret. Ego vero minime dixi, quemlibet Legatum admittendum esse. Quin ex propositionis demonstratione cuique, putos, clarissime patet, illorum duntaxat receptioni favere regulam nostram, qui jure petendi instructi accedunt. Illi autem, qui animo hostili regionem nostram adeunt, jure illo introductionis rogationem protegere minime possunt. Non igitur

igitur stabilitæ regulæ casus, quos recensuimus, exceptiones pariunt, quas omnis regula rite determinata respuit; sed cum hypothesin subvertant, thesi, quando palam adsumt, locum non relinquunt. Ita quandoquidem Anglis manifestissimum est, nexus nullum, adeoque negotia nulla, rempublicam suam cum Hierarchia Romana habere, illi quoque Pontificis Maximi Legatos non admittunt. Experientia præterea rerumque præsentis facie moniti, nihil nisi finitri & flagitiosi ab illa Legatione exspectandum sibi fore sciunt.

§. XIII.

In Gentis vel ejus Rectoris locum, res varias ad felicitatem publicam utriusque Gentis communem spestantes proponendi, agitandi, expediendi, definientique caussa, cum alia Gente vel ejus Rector, Jure G.N. præcipiente, conveniunt Legati (§. 5.4.6.) Hinc conuentu illo facto perinde sane est, quod ad negotiorum pertractionem, ac si Gens ipsa vel ejus Rector propria persona adessent. Licet enim individuum physicum diversum sit; morale, cuius solum rationem in Jure habendum, idem censeri debet (*q.*) Cum igitur in Legato Reipublicæ mittentis persona hac ratione assimiletur, haud fecus ac hominis formæ externæ assimilatio fit in speculo vel pictura; hinc intelligis, quid sibi velint qui dicunt: *Legatum representare Gentem vel Principem, a quo mittitur, & quo jure id dicere possint.*

§. XIV.

Character representativus Legati est ille, vi cuius pro eadem persona cum mittente respectu officii ipsi commissi est habendus. Breviter etiam definiri potest per facultatem, qua Legato in exercendo munere, representandi mittentem, competit.

Scholion. Disertissime hisce verbis hæc expressit oratorum princeps, de C. Popilio Legato, ad Regem Antiochum missio loquens: *Preclare: Senatus enim faciem secum adulterat, auctoritatem populi Romani (r).* Cum illo charactere repræsentativo generali confundi non debet *specialis alter*, qui in externa pompa majori, splendidioribusve honoris exhibitionibus, Legatorum superioris ordinis vel extraordinariorum personam circumdantibus, consistit (*s*). Nemo de isto verba nostra intelligat, cum de Charactere repræsentativo sermo nobis erit, cum magis ad externa quam propria Legationis spectet. Hunc cum *ILL. LEIBNITIO (t)* definimus per jus fruendi iisdem honoribus, quibus frueretus is, qui repræsentatur, si præsens esset, in quantum fert ratio aut consuetudo.

§. XV.

Charactere repræsentativus Legati Juris Gentium Necessarii est. Character enim ille repræsentativus ex notione Legati immediate deducitur (*§. 14. 13.*). Quæcum Juri G. N. adprime sit consentanea, quippe quo Legationum necessitas nititur (*§. 6.*); non etiam fieri potest, quin Juris G. N. sit Character ille Legatorum repræsentativus.

§. XVI.

Quoniam *Persona* in Jure nihil est nisi subjectum obligationum & jurium, homo vero inibi solum quoad obligationes juraque, quorum capax est, spectandus (*u*), Legatis quoque tribuenda jura & officia ex eorum Entitate morali, seu persona, quam habent, aestimari convenient. Jam autem illi, Characteri repræsentativo inherenti vi, augustum Populi vel Principis mittentis in-

star

(*r*) *Philippic.* VIII. C. 8. (*s*) *Mémoires touchant les Ambassadeurs p. 10.* *KULPIS de Legationibus statuum imperii* C. II. §. 4. (*t*) *De Jure suprematus ac Legationis Principum Germaniae* C. VII. (*u*) *Ill. WOLF. Jur. N. P. I. §. 70.*

star exhibentes, eandem cum illo personam in officio Legationis exercendo habent (§. 14. 15.). Manifesta igitur hinc consequentia fluit; *Legatis in obeundo munere obligationes juraque esse adscribenda, quibus Populus vel Princeps mittens gavisus fuisset, si ipse negotia sua exsecuturus cum alio Populo vel Principe congressus fuisset.* (v).

§. XVII.

Populos vel eorum Rectores animi sensus mutuaque desideria sibi invicem exposituros, simul & negotia reciprocis petitionibus annexa vel ex illis enata trahetatuos, in alterius territorium venire, seque Potestati ibi imperanti submittere debere, nullus eorum jure sibi arrogare potest. Id enim absque aequalitatis libertatis jurum, quibus Gentes haud minus ac personae singulares in statu naturali viventes peraque eminent, offensione fieri minime posset (x) (§. 1.). Si igitur Populi vel eorum Rectores animi sensus desideriaque reciproca mutuo exposituri negotiaque huc pertinencia tractaturi congregenderentur, extra cuiusque territorium illos degere censendum, Jus Gentium Necessarium jubet.

§. XVIII.

Sed facile simul pater, illud, si ita loqui liceat, Extraterritorialitatis jus intemeratum nihilominus manere, licet conventus potius in unius, quam in neutrius regione, commoditatis caussa, fierent.

§. XIX.

Inviolabilitas personae Legati designat independentiam personae actionumve ejus a potestate Imperantis in Gentem, ad quam mittitur.

B 3

§. XX.

(v) III. WOLF. Ontol. §. 188.
§. 81. 144.

(x) Id. Jur. N. P. I.

§. XX.

Jure Gentium Necessario inviolabilis est Legatorum persona, vel si maxime intra fines territorii ejus, ad quem missi sunt, degant. Etenim cum persona Legati conexa sunt omnia jura, quae habuissent Populi vel Principes, si ipsi ea, quae Legatio fert, exsecuti fuissent (§. 16.). Inter illa vero eminet extraterritorialitatis privilegium (§. 17.), & quidem non obstante eorum intra fines alterutrius commoratione (§. 18.). Compotes itaque hujus juris erunt Legati. Sed qui extra territorium alicujus sunt constituti, illorum persona & actiones a territorii illius Domini potestate dependentes esse nequeunt, quippe quae fines territorii non egrediatur. Verum enimvero in illa personæ & actionum Legati independentia a potestate Superioris in Gentem, ad quam mittitur, consistit personæ ejus adhærescens inviolabilitas (§. 19.). Quis igitur inficias ibit, Jure G. N. inviolabilem esse Legatorum personam, & nullo quidem discrimine habito, an in vel extra territorii fines illi sint physice constituti.

Idem hoc modo ostenditur. Finge, quæso, si potes, Legatos non esse inviolabiles. Subjiciuntur ergo, quoad personam & actiones suas, imperio Superioris Populi, quem Legatio adit (§. 19.). Quid vero ille? hancce absque dubio subjectionem in utilitatem commodaque sua, quantum poterit, deflectet. Cum autem ejus & mittentis rationes sapissime pugnantes semperque diversæ sint, quis non vider, illum suum in Legatum imperium eo semper directurum, ut votorum suorum, eversis licet omnibus mittentis consiliis, compos fiat? Id Legationum fini ex diametro adversari, palam est. Cum tamen Juris G. N. sit, per hypothesin, subiectio illa, Jus illud ex una parte Legatorum constitutio-

tutionem approbat urgebitque (§. 6.), ex altera vero id, quo omnis Legationum finis subvertitur, præcipiet vel ad minimum permitter. Quod cum absurdissimum sit; nova hac ratione Juris G. N. præsidio munitur Legatorum inviolabilitas.

Scholion. Magnus GROTIUS, qui cœteroquin ad mores solum Gentiumque consuetudinem jura Legationum refert, sensit tamen optime, quantum meruendus potestatis in Legatos abusus, ad inviolabilitatem eorum personæ conciliandam, valerer. Hæc sunt ejus verba quæ huc faciunt: „Parre vero altera valde in lubrice locatur salus Legatorum, si actuum suorum rationem alii reddere debeant, quam a quo mittuntur. Nam cum plerumque diversa sape & adversa sint con-silia eorum, qui mittunt Legatos, & qui accipiunt; vix est ut non semper aliquid in Legatum dici possit, quod criminis accipiat speciem. Et quamquam quædam sunt ita manifesta, ut dubitationem non habeant; sufficit tamen ad æquitatem & utilitatem Legis universalis periculum universale (y).“ Eadem ob rationem Legatos inviolabiles declarat M. DE CAILLERES. Cujus verba, cum GROTTI mentem eleganter commententur, hic transcribam. „Si les Princes avoient le droit, de faire proceder contre un Ministre étranger, qui négocie avec eux; il n'y seroit presque jamais en sûreté, parceque ceux qui voudroient s'en défaire ne manqueroient pas de pre-textes, pour colorer cette résolution, & lorsqu'on auroit commencé à arrêter un Ministre Public, qui auroit donné sujet de se plaindre de sa conduite, on le pourroit faire dans la suite sur des soubsons mal fondés, & sur des Calomnies; Ce qui seroit capable de rompre le Commerce si nécessaire entre les Princes & Etats indépendants (z).“ Argumentum illud est idem, ut facile patet, cum eo, quo usus est GROTTUS. At illud optimum mihi quidem videtur ad legem arbitriam G. condendam, sed universalitate sufficienti non gauder

(y) *Jur. B. & P. Lib. II. Cap. XVIII. §. IV. n. 4.*

(z) *De la Maniere de négocier avec les Souverains Ch. IX.*
pag. 102.

det, ut ex illo Jus G. N. effici possit. Illo itaque ad Legatorum inviolabilitatem Jure G. N. vindicandam usurus, ad tam universalitatem suam rationem, quam continet, eyehere debui.

§. XXI.

Sanctitas Legati vocatur ejus a l*æ*sione quacumque securitas, ob Legationum favorem nova obligatione munita.

Scholion. Hæc sanctitatis Legatorum definitio est sensui, quem vox illa in Jure Romano haber, perfecte consonans (l. 8. ff. de Rer. Div.).

§. XXII.

Sanctitatem magnam Legatorum personæ inherere, statim perspiciet, qui in Characteris repræsentativi vim, quo illi corruscant, attentionis aciem converteret (§. 15.). *Læsæque majestatis, Juris G. sensu, crimen, qui eos lædunt, committere, nec non eorum offenditioni cuicunque severissimas poenas decernendas esse*, haud minus facile fatebitur, qui majestatem Principis quodammodo in eo conspicuam contuetur, simul & favorem, quo Legationes prosequitur Jus G. N. (§. 20.) expendere voluerit^(a).

Scholion. Maxima semper fuit reverentia, qua Populi & Principes præsidium illud sanctitatis, quo Jus Gentium N. Legatorum personam defendit, spectavere. Scelera alia horrore supplicioque semper superavit illud, quo persona Legati fuit imperita. Asylum ecclesiasticum, quod in Hispania fælestissimis tutelam præstat, Juri Gentium, sanctitatis Legati viola-

(a) L' Edir de Messieurs les Etats de Hollande sur cet article est remarquable; il est du 29. Mars 1651. & on le trouve dans L' Ambassadeur de Mr. de WICQUEFORT L. I. Sect. XXVII. P. 553. L. 7. ff. ad Legem Julianam de vi publica.

violatorem ad paenam poscenti, cedere debuit. Jussu enim Hispaniarum Regis mercator, qui nefario ausu Venetum Legatum graviter vulnerarat, ex Ecclesia, in quam confugerat, Catalaunis pro Ecclesia immunitate frustra vociferantibus, vi extractus fuit, & penas sceleris severissimas dedit (b).

§. XXIII.

Jam vero absque jure in alterius personam & actiones jurisdictionis, cum civilis, tum criminalis, concipi nequit. Quoniam autem inviolabilitas, qua Juris Gentium Necessarii autoritate persona Legatorum splendet (§. 20.), omni regionis Domini in eorum personam actionesque potestati obnuntitur, & quamcumque ab eo dependentiam respuit (§. 19.); hinc evidenti maxime atque certa consequentia elicimus, *Legatos Jure Gentium Necessario Jurisdictioni, & civili, & criminali, apud Gentem vigenti, ad quam missi sunt, esse exemptos.*

Scholion. Post restauratas & excultas morum disciplinas pauci fuere JCti, qui exemptionem illam Legatorum in dubium vocaverint. Sed paucissimi genuinis suis solidisque fundamentis illam superstruxerunt. Quidam, qui cum nativo acumine iudicium, experientia haud vulgari rerumque magnarum usu subactum, conjunctum habebant, optime sensere, sententiam contrariam cum praxi Gentium minime constare posse. Cum vero praxis illius rationes intimas in Jure G. N. haud invenirent, Juri G. Voluntario immunitatem illam Legatorum a Foro ejus, apud quem Legationem obtinunt, adscriperunt. Cedo, Juris G. Voluntarii solum erunt Legationum jura. Verum videamus, undenam sententiae fulcra arcesserint? ab intestinis credo, quod maxime fieri decebat, Juris hujus causis & rationibus? Sed bonam spem res ipsa felicit. Loco enim internarum Juris G. V. rationum illos video uberrimam exemplorum, mira diligentia ex omnis ævi annalibus collectorum, segetem adferre. Si de Jure Gentium C. n. fuerū

C

suerū

(b) WICQUEFORT c. l. p. 557.

suetudinario, Paetitio, vel Ceremonia probando ageretur; melius, quam factis exemplis probationem instrui posse lubentissime cum eis negarem. Sed cum ab his omnibus Juris Gentium speciebus maxime differat illud, quod Voluntarium seu Arbitrarium dicimus, quippe quod universalem habeat causam; modum, quo illud probant Viri alias Doctissimi, quosque non uno nomine summe suspicio, cum severa accuratione haud satis consistere, pace illorum, dicere confido (*I. Schol.*). Quin WICQUEFORTIUS, de quo Juris G. scientiam insignem, nec non praeclara in primis in toto isto Legationum argumento merita, haud pauci praedicant, ille, inquam, nullum aliud Jus G., praeter Voluntarium illud, minus recte intelletum, adgnoscit. Audiamus ipsum loquentem. „La nécessité „des Ambassades fait la sûreté des Ambassadeurs, du Consentement universel de toutes les nations de la terre, & c'est ce consentement qui fait ce qu'on appelle le Droit des Gens. Il tient „le millieu entre le Droit naturel & le Droit Civil, & est d'autant plus considerable que le dernier, qu'il ne peut être changé ni altéré, si non du même Consentement unanime de tous les peuples. Il n'y a point de Souverain, qui se puisse donner l'autorité d'expliquer les loix, dont ce Droit est composé, & il n'y a point de Juge, qui puisse étendre sa Juridiction sur les personnes, que ce Droit protège; parce qu'il troubleroit un commerce, dont la liberté est fondée sur une nécessité indispensable, & il oteroit de celui des hommes le moyen de conserver la société, qui ne pourroit pas subsister sans ce principe, qui est plus que mathematique (*c*).“ Integrum locum descripsi, quia posteriora, si non confirmationi, saltem illustrationi eorum, qua jam stabilivi, inservire possunt. Coeterum principium illud, magis quam mathematicum, meum non facio. At enim quid erit? CL. CANZIUS acutissimus ille Philosophus, qui magis ex notionibus, quam exemplis calculos instituere amasse videtur, ille, inquam, immunitatem a Foro regionis, ubi degunt, Legatis Jure G. N. debitam esse negat. Iuri Paetitio G. solum illam, qua hodie ubique fere fruuntur Legati, exemptionem vult acceperam ferri (*d*). Quid ergo? an causam deseremus susceptram, quod adversarium tam sagacem

(*c*) *I. c.*(*d*) *Disciplinae morales omnes &c. §. 2231.*

cem nacta fuerit? Vel an eo usque tanta autoritas valebit, ut in sententiam manibus pedibusque descendere cogamur? Minime Gentium; cum veritas aliud suadeat, & Autori Philosopho modestam contradictionem haud displicituram confidamus. Liceat igitur rationes, quibus sententiam fulcivit Autor ille Doctissimus, sub examen revocare. „Jus Naturæ, ait, ex rerum natura cognoscitur, i. e. definitione subjecti, vel obiecti, vel utriusque, de cuius jure queritur. Jam vero ex sola Legati definitione necessitatem, nec Charakteris repræsentativi, nec immunitatis a foro ostenderis. Non ergo hæc instituta Juris Naturæ sunt.“ Argumenti majorem concedo observans tamen, ex definitione sola subjecti vel obiecti ejus, de cuius jure queritur, non semper cognosci posse an illud Juris Naturæ sit, vel non. Auxilio alia arcessenda sunt jam evicta principia. Quam opinionem Dn. CANZIO ipsi sedere non dubito, sed majoris tamen lucis gratia id monendum vixum est. Jam vero quod assumptiovis partem primam atrinet, ex Legati nempe definitione neque Charakteris repræsentativi, neque immunitatis a foro necessitatem ostendi posse; de Charaktere repræsentativo contrarium ex §§. 13. 15. elucere puto. Ibi enim immediata ex notionibus Legati & repræsentationis, facultatem ejus Rempublicam, a qua proficitur, repræsentandi deduxi, Charakterisque repræsentativi, inde nascentis, necessitatem Juris G. N. autoritate corroboravi. Quod vero immunitatem a foro spectat, illam ex definitione Legati necessario procedere facile conceder, qui bene perpendet vim illius subitionis Legati in locum Gentis, quam definitio ipsa contineat (§. 5.). Qui enim in alterius locum moralem, de quo hic agitur, succedit, ille modum eundem, quo alter cum aliis comparatus certas habere distantias seu discrimina intelligebatur, jam assumere debet, secundum ipsum auroris doctrinam (e). Ut vero ad Juris doctrinam abstractissimam illam loci moralis definitionem attemperemus, dicendum, illum, qui in alterius locum moralem sensu juridico succedit, jam eundem existendi modum, quoad jura & obligationes, acquirere quem habebar ille, cuius vices occupar. Ira videmus nepotes, quoad successiōnem defuncti avi, æquali jure concurrere cum patruis avunculisque

lisque suis, non aliam sane ob causam, nisi quod in locum Patris moralem subeant, quod eum repräsentent. Quid est autem causæ, cur illam representationis nativam vim in Legatis corrumperet & infirmare vellemus? An vero illam subitionem in locum de illis negabimas? Sed eodem istu, quo eam feriremus, Legationem simul totam convelleremus. Definitio enim Legati, sublato illo in Reipublica locum subeundi jure, consistere minime poterit. Quæ cum ita sint, Legatum foro ejus, ad quem mittitur, subjicere nequis, quin prius Rempublicam vel Principem mirentem illi subjeceris. Ab ea vero mente illustri adversario adfingenda ego sum alienissimus. Nil ergo supereft aliud, nisi quod nunc conclusionem inde eliciamus. *Do. CANZI* siue contrariam, Juris nempe Naturæ esse & Charakterem representativum Legati, & ejus a foro immunitatem. Jam vero ad partem alteram assumptionis probandam procedit Autor: Ex objecto scilicet Legationum Charakteris representativi & immunitatis a foro necessitatem intelligi non posse. „Legati, ait, est mutua duarum Gentium negotia tractare; Atqui hæc tractari possunt, et si Legatus alienæ potestati subesse quoad forum.“ Quam assertionem ab Autore sagaci rationibus fuisse corroboratam maxime optarem; cum vero via a posteriori probandi magis ei placuerit, quo successu eam fuerit ingressus, nunc inspiciendum. Ut enim evincat, Legationem obiri nihilominus posse, licet Exemptione a Foro non fruantur Legati, observat, „Tallardum, copiarum omnium Gallicarum ducem, prelio Hochstadiensi captum, tametsi captivus erat, in Anglia tamen Gallorum Regis negotia callidissime gestisse, & Pacis Ultrajectinae posuisse prima fundamenta.“ Quæ circa factum hoc notari possent nonnulla præterea ad consequentiam porius pergens. Illa vero hæc est: „Non est igitur absolute ad Legationis scopum necessarium, immunitate a foro uti. Quis enim magis est subiectus quam captivus? Et tamen etiam hoc statu Legati officio feliciter functi sunt.“ ibid. Illatio hæc generalis, quam ex facto elicuit Autor, non uno defectu laborare mihi videtur. Etenim primum supponit, hostes bello capros ipso facto subjectos Jurisdictioni victoris fieri, cum tamen illam adgnoscere de jure minime teneatur captivus. Si verum hoc quidem datur

rem, minime tamen exinde sequeretur, in una eademque persona simul consistere posse & subditi dependentem conditio-
nem, & splendidum Legati officium (contrarium infra nova directaque ratione evictum damus). Eo ipso enim, quod cum Tallardo, captivo illo illustri, de Gentis utriusque rebus Tra-
ctatus habuerunt Angli, eos subjectionem illam exsolvisse præ-
sumendum, unaque Legatis debitas immunitates illi concedere
consenisse. Quæ vis jam est exemplo, quod in ejus, quod est
in principio, petitionem sepe resolvit? Præterea, si maxime sub-
jugo capravitatis & subjectionis nexus remansit callidus ille ne-
gotiator (de jure nempe), omnes tamen hujus subjectionis
effectus, durante negotiatione, suspendisse & suspendere debuisse
Anglos, non negabit Ill. adversarius. Perinde igitur fuit, ac
si nulla subiectio fuisset. Qui ergo ex eo, quod Tallardus
Gallorum apud Anglos res licet captivus feliciter gesserit, le-
gitime colligi in genere potest, subjectionem cum Legati offi-
cio posse subsistere? Exemplum adeoque illud rem ab Autore
obtentam minime confidere satis luculenter patere arbitror.
Jam vero licet Tallardo in negotiis prosperrime gerendis sub-
jectio, suspensis scilicet ejus effectibus, hoc casu non obfuer-
rit, quis tamen, die quoq[ue], Princeps Legatum cum ejusmodi
precaria independentia mittere veller? Nullum fore arbitror.
Ratione duce id astero. Si præterea requiris exempla, in qui-
bus sic sentire Reges perspicuum sit; illa haud deficiunt. Unum
ex multis appositorum adducam & Dn. CANZII suo fatis si-
mile. Prælio Guinegastensi Francos inter & Anglos commis-
so, Ducem Longovillanum hi ceperunt, secumque domum
abduxerunt. Ille, cui amicitiam inter duos Reges intermissam
redintegrari curæ cordique maxime erat, assidue aulam, fide
sua liber, frequentabat. Animos ibi callidis arribus de matri-
monio inter Ludovicum XI. Regem suum & Mariam, Henrici
VIII. Angliae Regis sororem, præsentiebat. Voluntates haud
alielas invenit, ulteriusque progressus proprio motu Rege suo
inconsulto primas conditiones Anglis obtulit. In omnia con-
fessum. Tum tempus esse ratus, quo res ad Regem essent
mandandæ, aulæ omnia renuntiavit. Gratum fuit Regi mi-
nisterium Ducis. Sed a captivo illa acta fuisse videri nolens,
continuo codicillos illi Characterem augustum tribuentes ad

eum misit. His condecoratus Dux de novo omnia instaurat, postremoque ad felicem exitum perduxit. Si cum Legati munere bene consistere potest subiectio, quam opinante adversario caprivityas inducit, unde, quæso, tam fuit sollicita cura Regis, Charakterem Ducis cum Legatione communicantis? Cur omnia, quæ absque illo Charaktere facta fuerant, de novo inchoanda voluit? Id sane claro est argumento, Reges Legationis officia nunquam fore concreditoris illi, qui in aliqua dependentiæ specie ab eo, apud quem agere deberet, esset. Sane si hac armatura levi est pugnandum, exemplum istud causæ meæ feli cius, quam prius Dn. CANZI opinioni, inserviet. Ast si hæc illustrare, non tamen confirmare possunt veritatem; rationum robore firmissime stantem (§. 20. dem. altera).

§. XXIV.

Legati cives non sunt neque constantes, neque temporarii Regionis, ad cuius Dominum fuerunt missi. Cives Regionis alicujus esse non posse, quorum persona actionesque a Potestate ibi imperante prorsus independentes sunt, ex ipsa civis notione elucescit. Quem respectum cum habeant Legati cum Imperante in Gentes, ad quam missi sunt (§. 20. 19.); hinc patet, Legatos cives Regionis, ubi agunt, neque constantes, neque temporarios esse (f).

Scholion. Id vulgo dicitant Legatorum a foro exemptionis impugnatores, illos nihil aliud in Regione ubi degunt, esse nisi cives temporarios. Id falsum esse demonstratio superior luculenter docet. Verum etiam ex ipsa civis temporarii definitione idem haud minus aperte patet. Nam *cives temporarii* juxta communem loquendi usum sunt peregrini, qui vel voluptatis, vel curiositatis, vel privaræ sua utilitatis causa, in regione aliqua per certum tempus commorantur. Qui cum ibi rurela fruantur, jus in eos Dominus Regionis merito sibi vindicat. Enimvero hæc omnia a Legatorum conditione lon-

(f) Ill. WOLF, *Logic.* §. 235.

longissime abeunt. Hi enim personæ sunt, quarum ministerio negotiorum publicorum tractatio completur (§. 5.), privati nihil est in iis, personas morales, status integros praesentes sunt, per eos Imperiorum inter Imperia, non privatorum inter privatos, sermones commenant. Quæ omnia profecto a civis temporarii natura & indole alienissima sunt.

§. XXV.

Quamvis vero Legatorum majestas Jurisdictionem loci in eos excludat; nulla tamen adest ratio, cur nexui subjectionis, quo respectu mittentis Principis colligantur, forent exempti. Unde sua sponte manifeste fluit, si Legatus Principis mittentis subditus sit, eam per totam Legationem talem manere.

§. XXVI.

Legatus tota Legatione durante factō suo quocumque sub Jurisdictionem ejus, ad quem mittitur, venire minime potest. Legatus enim tota Legatione durante Principis mittentis subditus permanet (§. 25.), ita ut imperio ejus, illa non obstante, semper subjaceat. Quoniam vero ab Imperio Jurisdictione procedit, si factō suo aliquo Legatus sub Jurisdictionem ejus, ad quem mittitur, venire posset, factō suo jus Principi quæsitum imminui vel adimi posset. Cum autem primis totius Jurisprudentiæ principiis hoc adversetur (g); veritas propositionis in aprico posita est.

Scholion. Non negamus simpliciter, Legatum civem alterius Reipublicæ fieri posse, & factū ejus, ut id fiat, intervenire debere. Sed negamus, Legatum qua talem simul fieri posse alterius subditum, ita ut in ejus factū solum ratio sufficiens illius concessionis in imperium alterius inveniri possit. Est autem hoc principium magni momenti. Hujus enim operi facili negotio solvuntur nodi, & dispelluntur nebulae, quibus

gra.

(g) Ill. WOLFF. *Jur. N. P. I.* §. 923.

gravissimam hanc doctrinam multi implicarunt. Quis enim nescit, ingenti semper animorum motu disceptatum fuisse, an? vel semper? vel quando? inviolabiles essent Legati. Qui Legatos immunitatem a foro per quædam delicta amittere autumati sunt, in infinitos Labyrinths confusioneque inexplicabilem indicere. Quæ, (quod sane mireris), quantave opinionis illius in animis disjungendis discordisque generandis vis erat! qui ei nomen dederunt, alios ceteroqui strenue & fideler describentes, hic tamen dissentendi, novumque de suo aliiquid addendi animum habuerunt. Bone Deus! quas & quot non excogitavere distinctiones, limitationes, ampliationes? Quam operosa sollicitudo in criminum qualitate, atrocitatibus gradibus, magno cum sudore, exiguoque usu definiendis! Quæ fuerunt igitur regulæ, quas his malæ notæ fulcris superstruxerunt? semper fluxæ & vagæ, haud raro obscuræ & inter se pugnantes, & quod denique earum auctores maxime exccruicabant, a Gentium foro rerumque usu quam plurimum alienissimæ. Alii cum inviolabilitate sanctitatem confundentes summa imis miscuerunt. Alii alia, quæ hic omnia recensere cum infinitum nimisque invidiosum, & instituto in primis alienum foret; hac opera lubenter supersedeo. Ceterum Jurisdictionem civilem, quam adducta haec tenus principia ambitu suo complectuntur, hic deferentes nos jam totos ad Fori Criminalis quæstiones convertimus.

§. XXVII.

Quæ excogitari possunt, atrocissima perpetrans Legatus, iaco tamen immunitatis a foro Principis, ad quem missus est, jura non amittit. Haud ita vero repugnat, illum per quædam delicta sanctitatis privilegia amittere. Te jam adversus illa insurgentem magnoque clamore dissentientem videre mihi videor. Quid? ait, si in genere manifestissimæ æquitatis sit, jura qualibet ob indignitatem adimi, an tamen Legatus tam atrocia patans inviolabilitatis præsidia retinebit? Retinebit utique; & contra sentire nequis, proxima nisi in absurdâ te ultro

præ-

præcipitem agere velis. Ponamus enim, atrocioribus quibusdam factis violabiles fieri Legatos; actutum & manifeste eo te hæc sententia dicit, quod facto suo Legatus sub Regionis Domini, ad quem missus est, Jurisdictionem venire possit (§. 19.). Poenas autem celerum in civitate repetit, qui ibi Jurisdictioni criminali præst. Sed nullo facto suo Legatus sub Jurisdictionem ejus, ad quem mittitur, tota Legatione durante venire potest (§. 26.). Facebat igitur male sana opinio, cum evitatis veritatibus tam aperte certans. Q. E. U.

Verum enimvero atrociora adversus aliquem perpetrans læsionem illi infert, adversus quam defensio jure competit (*b*). Defensionis autem favor securitati nostræ ita præ aliena prospicit, ut adversus lædantem per læsiones quoque, si alia non sufficiant sese expediendi media, nos in tuto collocare possimus (*i*). Quæ cum omnia Jure G. haud repugnante adversus Legatum atrocia perpetrant applicationem invenire possint (*S. 1.*); manifestum profecto evadit, Juri G. N. minime repugnare, si per atrociam quædam delicta jure suo sanctitatis cadat Legatus. Q. E. A.

Scholion. Jam jam distinctius determinatur sumus, quando sanctus maneat, vel esse desinat delinquens Legatus. Dicimus vero Legatum sanctum manere, cum Jure G. illo vis nulla in eum adhiberi potest. Sanctus esse desinit statim atque vis in eum Jure G. licita fit.

§. XXVIII.

Cum Legationis nomine Legatus facere nequeat, quæ Jure N. prohibentur (*k*), poenasque secundum Juris hujus præcepta dare debeat, qui ab alterius læsione

D

(b) Ill. WOLFF. Jur. N. P. I. §. 973. (i) Id. §. 1012.

(k) Id. §. 850.

fese non temperat (*l*); hinc evidens est maxime, *Lega-
tum nomine Legationis nihil suscipere posse*, quo Reipubli-*cæ*, ubi degit, vel ejus subditorum jura laderentur (*m*), si-*minus*, cum has ob l*esiones pœnas Jure G. N. daturum*
(§. 1.).

§. XXIX.

Hinc mandati officio prætenso minime excusabi-*tur* meritamque flagitiis pœnam declinabit Legatus, qui secreta Principis, ubi agit, expiscaturus ad ea per status Administrorum corruptiones, per impuros cum eorum uxoribus amores, per scorta & adulteria aliave id generis sceleram contendet (*n*). Hinc etiam pœnæ ab eo merito repetendæ, qui, ut Principis sui res prosperius suc-*cedant*, in Consiliis, vel in populo factiones excitat & alit, seditionis rumores disseminat, invidiosaque multa Principis odio per Regionem spargit, aliave denique ejusmodi plurima, quibus fides, amor, consensio subditorum vulgo tentantur & labefactantur, suscipit.

Scholion. Ex illis limitationem, meo judicio, accipiet generalior ista Dn. VAN BYNCKERSH. sententia. „Legatos, si „ex mandato faciant, quamvis perperam faciant, detineri ta-„men vel puniri non posse, inter omnes Juris Publici Scripto-
res

(*l*) Id. §. 1061. (*m*) Id. §. 695. (*n*) Omnes enim morum severitate & castitate non æmulantur duos illos Regis Hispaniæ apud Urbanum VIII., Pontificem maxi-*mum*, & Carolum II. Angliæ Regem Legatos. Rei Princi-*pum* summe intererat cognitio rerum, quæ tum tem-*poris* agitabantur. Sed rigidi priscæque ætaris viri ea ignorare maluerunt, quam ad illorum notitiam per viam minus honestam, quæ eis parebat, penetrare. *LETI Ceremoniale Politico. Parte I. Libro I. p. 76. 77. 78. 79.* Idem autor ibidem obseruat, Franciæ Legatum Londini tunc agentem nomine BARILLON se non adeo difficilem morofumque præbuisse.

res constat (o).[“] M. DE CALLIERES videtur mihi hic o-
ptime fuisse philosophatum. Sententiam itaque Autoris intelli-
gentissimi ex ipsis ejus verbis rotam transcribam. Quem ra-
tiones non vincunt, illum aliquando expugnat auroritas. Viri
autem hujus judicium opinioni pernicioſæ, hodie nimium quan-
tum inter Ministros dominant, contraponderare forsitan poterit.
Un Ministre, *ait*, est à plaindre, quand il a ordre de son “
maître, de former des Cabales dangereuses dans l’Etat ou il “
est, & il a besoin de toute son adresse, & de tout son Cou-“
rage, pour se tirer d’un pas si glissant. Il n’y a gueres de ser-“
vices qu’un bon sujet & un fidèle Ministre ne doive à son “
Prince, ou à la Patrie, cependant l’obliſſance a ses bornes, “
& elle ne s’étend pas jusques à agir contre les loix de Dieu “
& de la Justice, qui ne permettent point, d’attenter à la vie “
d’un Prince, de lui faire revoler ses sujets, d’usurper les E-“
tats, ou de les troubler en y excitant des guerres civiles lors “
qu’on y a été reçu sous le titre d’amitié. Un Ambassadeur “
doit détourner par ses conseils de pareilles entreprises, & si “
le Prince ou l’Etat y persiste, l’Ambassadeur peut & doit “
alors demander son rappel & garder cependant le secret a son “
Souverain (p).[“]

§. XXX.

Quoniam non statim extinguntur subditi rela-
tiones, ex quo extra territorii fines ille sese transfert,
jura etiam Principis sui in eum, quæ ab illo nexu de-
pendent, ei integra salvaque manebunt. Si itaque Prin-
ceps alius quædam ex illis sibi arroget, vel eorum usum
quodammodo intervertat; alteri jus suum acquisitum
aufert. Quamobrem cum jus puniendi subditos inter
Imperii jura compareat; Princeps alterum, jus illud in
subdito suum exercere volentem, impediens injurium
certe in illum se præbet. Quod cum non minus Juri
G. N. quam Juri N. apertissime adverſetur (q) (§. I.)

D 2. prona

(o) de Foro Legatorum C. XXII. p. f. 555. (p) de la
Maniere de negocier avec les Souverains Ch. IX. p. 110. 111.

(q) Ill. WOLFF. Jur. N. P. I. §. 911.

prona inde consequentia fluit: *Juri G. N. adversum esse factum Principis, qui alterius subditum contra ipsum delinquentem prius punit, quam cum res tempusque, ut ad Principem recurratur, non siverint, vel spes illum pacem debitam fore inflicturum interierit.*

Scholion. His senioris J. G. prudentiae principiis imbutus ususque HENRICUS Magnus Rex Franciæ duos ad ARCHIDUCEM subditos puniendos remisit, qui, cum Gallis multis, nefariam Metarum prodicionem erant machinati (r).

§. XXXI.

Per quævis delicta alias punienda jura sanctitatis apud eum, ad quem missus est, promiscue non amittit Legatus. Si enim per quævis delicta alias punienda sanctitatis jura promiscue amitteret Legatus; Regionis, ubi degit, Dominus vim adversus illum poenæ nomine tunc quidem usurpare posset, cum res tempusque recursui ad Principem locum sineret, spesque justæ satisfactio- nis ab illo obtinendæ adhuc adesset (§. 27. Sch.). Consequenter extra has determinationes Principi, alterius subditum, Jurisdictioni suæ prorsus exemptum, puniri liceret (§. 25. 23.). Contra quod cum reclamat Jus G. N. (§. 30.); veritas propositionis est maxime in promptu.

Scholion. Cum ambæ sententiæ, de Legati delinquentis sanctitate generaliter in utramque contrarietatis partem decernentes, falsæ sint (§. 27. 31.); tercia supereft, quæ beata medium inter illas tenens jam est adstruenda.

§. XXXII.

Si ita comparata sint Legati delicta, siue illa jam patraverit, siue demum ad illa patrandæ se accingat, ut, nisi ille violenta coercitione reprimatur, periculum inde

Reipu-

(r) M. de WIEQUEFORT d. l. p. 566.

Reipublicæ saluti præsens immineat, vel spes omnis re-currendo ad Principem satisfactionis debitæ obtinendæ interierit, tunc vim ab ejus persona Legati sanctitas minime amovet; secus in casu opposito: rebus enim minus ad necessitatē constitutis ille est potius ad Dominum, cum debita satisfactionis postulatione, transmittendus. Si enim ita comparata sint Legati delicta, sive patrata, sive patranda, ut, nisi violenta coercitione reprimatur, periculum præsens Reipublicæ immineat, tunc Gentis erga se ipsum officium, salutis videlicet Reipublicæ respectu, cum officio ejusdem erga aliam, quod nempe ad sanctitatem Legati, colliditur. Enimvero officiis erga se ipsum cum officiis erga alios collidentibus in favorem priorum exceptio est facienda (s), & quidem eo in casu, quo defensionis studium cum obligatione neminem laedendi decertat (t). Quamobrem cum id, quod juris inter personas simplices seu privatos sub Lege N. solum viventes obtinet, applicari debeat ad Personas illas morales seu Gentes (§. 1.); quis non videt, sub data hypothesi licitum esse, vim Legato inferre, eumque sanctus esse desinere (§. 27. Sch.)? Q. E. P.

Si autem spes omnis juris sui ad Principem re-currendo obtinendi interierit; nullo obstante, neque Principis (§. 30.), neque delinquentis Legati (quod per se patet) jure, omnis evanescit ejus personæ sanctitas (§. 27.), jusque eum puniendi Princi, adversus quem deliquit, Jus G. ipsum adscribit (u) (§. 1.).
Q. E. S.

Jam vero si res moram patiatur, spesque juris sui adhuc a Domino Legati obtinendi adsit, violenter

D 3

tamen

(s) Ill. WOLFF. Phil. pract. univ. part. I. §. 229. (t) Jur. N. P. I. §. 1012. (u) Id. §. 1061.

tamen coērceatur Legatus delinquens; vis illi poenæ nomine indiscriminatim inferetur, considerato nimirum dumtaxat ejus delicto. Quod cum Legati sanctitatem temeret (§. 31.), Principique ejus injuriosum sit (§. 30.); tum profecto, si Juris G. N. ratio habetur, ne minimum quidem in eum seviri poterit, sed ille potius ad Dominum, cum debitæ satisfactionis postulatione, erit transmittendus. Q. E. T.

Scholion. Si his cum cautionibus in hac quæstione sa-
lebrarum plena, (très delicate, ut nostri dicunt) si unquam
ulla fuit, versernur; in neutrām partem injuriū erimus, &
sententiam habebimus, tum Rationis decretis, cum Gentium usui,
quas foeda barbaries vel affectus nimis non regunt & occident,
perfecte consonam. Principis territorii dignitas & jura sua in
tuto collocabuntur, simulque Reipublicæ mittenis majestati
nec non Legati securitati satis prospicietur. Non est igitur,
quod objicant Legatorum Exemptionum impugnatores (v):
Principi in Regione sua magna ab hac sententia pericula immi-
nere; ejus potestatem securitati tranquillitatively publicæ, nec
non subditorum bono sufficienter consulendi hac ratione, fu-
neste omne, nimium quantum circumscribi. Cautum enim
satis consultumque esse per modo evictam sententiam, eam per-
pendens facile perspiciet. Faceant igitur inanes fluxæque di-
stinctiones inter crimina Juris G. & Juris Civilis (x); inter illa,
quæ Reipublicæ majestatis vel Principis læsio comitatur, &
illa, quæ publicam tranquillitatem solum vel privatam pertur-
bant

(v) MARSELÆR in *Legato.* Ill. HENRIC. COCEJUS
de *Legato sancto non impuni.* Jo. Godofr. KRAUSII *Diss.*
de Jurisdictione in Legatos statuum eorumque comites S. R. I.
Archi-Marescallo competente §. 37. 38. Jacob. Aug. FRAN-
CKENSTEIN *de Jure Legationum dubio:* p. 14. 15. 16. Dn.
DE SCHARDEN in *dissert. de juribus & iurice competente Legatorum.* Et alii obscurioris nominis ovilisque ingenii
multi. (x) ALBERICUS GENTILIS *de Legationibus L. II.*
C. 19. HERRMAN. KIRCHNERUS *de Legato L. II. C. I.*
n. 125.

bant (y). Ambæ enim, nullo vel infirmo fulcro nitentes, rem profecto magis intricant, quam extricant. Diversæ adhuc ab illis hic distinguit Celeb. CHRIST. THOMASius (z). Quia vero fama viri causæ præjudicium facile facere posset, eoque magis id verendum sit, postquam clarissimi nominis Docti illi calculum suum adjecerint (a); me operaæ pretium facturum existimo, si nonnulla, quæ in hac sententia minus recte sele habent, quasi per transennam notem. Distinguit Autor ingeniössimus inter delicta, quæ statum vel Principis dignitatem lœdunt, & illa, quæ privatorum rationes perturbant. Horum respectu consentit in Legati ad Dominum, qui ipse eum coercitat, transmissionem. Ènìmvero Legati alterius generis delicta perpetrantis animadversionem ita juris Principis lœsi ipsique propriam esse censer, ut, et si forsitan manus ejus Legatus incolumis evadat, illum sat habere non teneri, quod penam Principalis offerat, sed potius deditioñem jure suo postulare posse, contendat. Tunc enim, quasi eum huic officio Lex Gentium singulariter præfecisset, penam ipse decerner arque exsequetur. Hanc quidem opinionis illius rationem allegat; quia tum, ait, Legatus se geslit ut hostem, at hostes non pu-“niuntur a tertio. Adde quod hic penarum finis ceflet.“ Ex his verbis conjicere posse mihi videor Virum Doctissimum in hanc sententiam seduxisse, quam de Jure penarum fovit hypothesin. Illas enim a superiori solum infligi posse in animum induxerat (b). Cum vero Legatum Principis loci superioritati non subjiceret, optime tamen Vir acutus perspicceret sanctimoniam Legati eum, cum delinqueret, non semper adversus vim & coercitionem tueri, quid erat agendum? incommoda illa dependentia Legati a potestate Domini mitterentis fuit tollenda. Idque egregie præstitum visum, si in omnibus delictis,

(y) PELZHOFFER *arcanor. status* L. IV. §. 10. 13. 14.

(z) Inst. J. D. L. III. C. IX. §. 65-68. (a) Cel. JOH. BARBEYRAC. in notis Gallicis ad GROTIUM de J. B. & P. I. c. §. III. n. 2. Distinctio vero illa prorsus nova non est; vide GROTIUM I. c. §. IV. n. 1. Eam usurpavit CHRISTOPH. BESELLDUS in Diss. de Legatis eorumque jure C. V. §. 21.

(b) *Instit. Jurisp. D. Lib. III. C. VII. §. 31.*

licitis, quæ publicum statum, vel Principis dignitatem attingerent, fingeretur, Legatum in hostem fuisse transformarum. Quoniam vero delicta, quibus privatorum fortunas, honorem, pudorem, libertatem & vitam invaderet Legatus, tanti momenti haud esse viderentur, ingeniosam etiam illorum causa metamorphosin esse decernendam necesse visum non est. Sententiae hujus defectibus notandis non immorabitur diutius. Qui magis directam refutationem desiderat, ille in memoriam revocet, quæ modo firmo demonstrationis robore stabilimus, cum in eo jam eramus, ut Domino jus potius Legatum, subditum suum, delinquentem puniendi vindicaremus. Quæ autem identidem non a THOMASIO solum, sed innumeris aliis hic ingeminantur, nullum eorum, quæ statuimus, labefactare valent. Legati conditio, inquit, melior esse non debet quam ipsius Principis. Princeps autem ipse, si in aliena Republica agens, ejus tranquillitatem dignitatemque perturbare ac minuere tentaret, illico & absque distinctione ulteriore ulla sanctitatis, quam ei conciliat majestas, juribus excideret, in eo jure meritoque terra hæc facinora condigna poena vindicarentur. Quo jure, pergunta, Legatus, qui majestatis imaginem duntaxat præ se fert, impune valebit, quorum animadversionem & reprobationem majestas ipsa effugere nequit? an magis umbra tribuemus quam corpori? Speciosa objectio, sed quæ nihil præter speciem habet. Etenim an per sententiam nostram melior jure evadit conditio Legati quam ipsius Principis? Nonne omnia delicta conciliabunt Legato animadversionem meritam (§. 28. 29.)? Quis unquam, quod Deus avertat, pro impunitate ejus oravit? Id solum dixi, & recte dici posse judico, Legatum per delicta quælibet, licet alias punienda, sanctimoniaz privilegii indiscriminatum non excidere; sed circumstantiarum complexum ad id præterea requiri, quæ necessitatem, vim adversus eum usurpandi, inducant. Unde sponte sua fluit, male pro mensura ejus, quod in Legatum delinquentem licet, ab objicientibus constitui, quod in Principem ipsum delinquentem licuisset. Ejus enim modi catus emergere possunt, quibus Principi omnia sanctitatis, qua circumcingitur persona ejus, jura pereant, cum tamen illa jure retinetur Legatus. Liceat mihi insuper sententiam meam tueri auctoritate

toritate Legati sagacissimi. M. de CALLIERES, qui Christia-nissimi Regis Legationes haud una vice & in primis in Rylvi-censibus conventibus magna cum laude obiit, hanc in rem, in exiguae molis, sed rerum refertissimo libello, sic loquitur: Ceux qui sont d'avis, qu'on peut s'assurer de la personne « d'un souverain, qui manque à sa parole, n'ont pas de peine « à croire, qu'on peut à plus forte raison s'assurer de la per-« sonne du Ministre, qui le represente, & proceder contre lui, « lorsqu'il fait des Cabales & des entreprises contraires au bien « de l'Etat. Mais ceux qui sont mieux instruits du droit des « Gens & de celui des Souverains sont d'avis, qu'un Ministre « étranger n'etant pas sujet à la justice du pais ou il negocie, « on ne peut justement executer sur lui aucun autre pouvoir, « que de le faire sortir de l'Etat, qu'il faut s'addresser à son « maître, pour lui demander satisfaction de ce qu'il aura mal « fait, & que si le Prince la refuse, c'est au Prince même qu'il « faut s'en prendre & non pas à son Ministre, quin'a été que « l'Executeur de ses ordres (c).» Posteriori tamen periodo, nisi per illa, quæ superius (§. 28, 29.) stabilita dedimus, expli-cetur & temperetur, adstipulari nolle. Cæterum in eo of-fendisse mihi videntur scriptores tantum non omnes, qui in hoc arguento versari fuerunt, quod nempe ex Charactere repræsentativio solum emanare omnia Legatorum jura & obli-gationes putarunt. Ita ut persona Domini, sua ipse apud alium obeuntis, adæquata mensura sit omnis juris & officii in Lega-to concepibilis. Sed facultas Principem repræsentandi non est, meo judicio, id unicum, quod in Legato attendendum venit. Conditio subiecti Reipublicæ mittentis in eo omni Lega-tione durante permanens est profecto minime negligenda. Sin minus; determinationis sufficientis neglectu in confusionem maximam falsasque conclusiones incidet. In criminibus, quæ privatum offendunt commodum, quidam ex adversariis ita sen-tiunt, ut eos id adgnoscere diceres. Si arbitrium discrimen, quod hic statuunt, non genuit, undenam illud arcessendum sit, me ignorare fateor. Sed forsitan Rationem pro Judice compe-tente

E

tente

(c) de la maniere de negocier avec les Souverains Ch. IX.
pag. 107.

tente in hac causa non adgnoscis. Rem totam porius testimoniis, autoritate, exemplis, Gentium mores consuetudinesque testificantibus, transigendam existimas. Sed quam inrurum est asylum, ad quod confugis! Oceano difficultatum, dubiorum, contrarietatum te imprudens immittis. Si tamen solis rationibus, quibus sententiam nostram de Legatorum Foro Criminali munivimus, confidere nolis, sed præterea usus Gentium hæc confirmantis tesseras desideres; quia jam multi satis sunt, qui Annales, Historicos, Mercurios, Novellas accurate descripsierunt, jam actum iterum agere nolo. Sed eo te remittam, ubi ad satietatem usque tuum exemplorum desiderium explere poteris. Vehementer autem hallucinaris, si existimes, hoc ingens publicarum actionum theatrum nihil nisi sancti exhibere atque religiosi. Facinora ibi invenies virtutis justitiaeque monumentis numero haud exiguo permixta. Ad ergo WICQUEFORTIUM (*d*) qui quo in eis corradensis sibi placuit, exemplis & narrationibus ita replevit librum, ut rationes inter tot facta appareant rara nantes in gurgite vasto.

Ne tamen theoriam nostram eo nomine quis insimulet, quasi videlicet ea extra academicas cathedras scholæque pulvrenulta scamna nullum in ipso rerum argumento pollicetur usum; exemplis ideo non prorsus abstinebimus. Unum autem ex multis memoriae nostræ clarissimum eligemus, illudque juxta præscriptas regulas percensemus. Jam in vulgus nouissimum est, GEORGI I. gloriose memorie Britannia Regis jussu 9. Febr. An. 1717. Comiti GYLEMBOURGICO, a CAROLO XII. Suecia Rege ad illum Legato, manus injectas fuisse, illumque sex fere per menses in arctissima custodia fuisse detentum. Haud minus etiam manifestum est, quam magnos motus inter Ministros Publicos detentio illa conciliaverit, nec non diversissima, prout varia partium studia hic vel illuc trahebant, judicia hanc in rem fuisse proleta. Pervulgatissimæ in primis sunt Marchionis a MONTELONE, Hispaniarum Regis ad Britannos Legati, epistolæ duæ, quas hac occasione scripsit; una ad STANHOPUM Starus Secretarium, qui illi, nomine Regis, Suecie Legati apprehensionem una cum ejus causis significaverat; altera

ad

(d) L' Ambassadeur & ses fonctions. L. I. Sect. 27. 28. 29.

ad Holstiae Ducis Residentem nomine PETRUM (e). His in litteris, posterioribus præsertim, Marchio ille Britannia Regis agendi rationem violentiæ Juri G. adversissimæ aperte condemnat. Quibus rationibus? quæraris. Honoris causa illas reticeo. Ideo tamen Juris G. germanorum principiorum ignorantia Virum illustrem arguere nolle. Qui enim temporum illorum rationem publicam perspectam habuerit, ille in judicio Marchionis vestigia generis illius affectuum, quos ex status rationibus proficiencia studia accendere solent, facile animadverteret. Cum vero mihi ob obscuriorum sphæram, in qua versor, liberius & sentire & judicare licet, aperte etiam dicam, me in illo Britannia Regis facto ne minimum quidem offendere, quod severissimæ Juris G. leges non vehementer approbent. Etenim an redarguetur ratio, qua ad totam nefariorum illius Legati machinationum cognitionem perventum? interceptio nimirum litterarum, quas ipse & GOERZIUS, supremus harum rerum moderator, sibi muruo dabant. Sed atrocissima conspiratio tot tamque claris argumentis coarguebatur suspicioneque adeo firma, ut, si viam illam in reliqua adhuc incognita consilia inquirendi rerumque omnium certiorem scientiam acquirendi Principibus simili casu deneges, eos, meo iudicio, scelestissimis Legatis jugulandos tradis. Periculosisima erant tempora, in qua tunc Brittannia agebat, factionum, insidiarum, odiique erga Regem plenissima. Jacobistæ, ut vocantur in Anglia Prætendentis fautores, illos, qui a Regis partibus stabant, numero fere superabant. Prætendens ipse elatiores spes nunquam foverat. Tempus avidissime expectabat solliciteque venabatur occasionem ultimis conaribus experiundi. Hæc omnia GEORGIO minime erant obscura. Successorum præterea animos infensissimos sibi satis perspexerat. Jam vero his omnibus superacecedunt amicorum fidelium ac intelligentium nunci monitaque, quibus rerum nefandarum, quas moliebatur GYLEMBURGICUS Comes, certior propemodum factus est. Cum tamen plena convictio omniumque consiliorum completa scientia adhuc deficeret, litteras cum inter

E 2 &

(e) *Mémoires pour servir à l'Histoire du XVIII. siècle par M.
DE LAMBERTY Tom. X. p. 20. seqq.*

& GOERZIUM commeantes intercipi curavit, ea tamen, sapienti sane, ratione, ut ne levissimam quidem de litterarum suarum sorte suspicionem habere possent duo Suecici Ministri. Quamobrem desistant jam censores ab illa interceptione incusanda. Si enim ex præsumptione justa agi posse Jure N. negant; non tantum omnem securitatem ex vita humana tollunt, sed nulli fere actioni amplius locum relinquent. Si vero ad agendum justa præsumptio vim veritatis Jure N. habet, an illa minus Jure G. valebit? Non autem, credo, justam præsumptionem fuisse negabunt, quæ tanta verosimilitudine nitebatur. Jam ex litteris manifestissima evadebant, quæ conjectura valde probabili hactenus continebantur. Cum autem per impressionem in manus omnium venerint litteræ illæ, opera confipationem illam specialius explicandi supercedeo (f). Id unicūm dicam, nihil atrocius contra augustissimum Regis caput simul & universæ Anglorum Reipublicæ salutem excogitari potuisse; tanta præterea cum arte & calliditate eorum omnium, quæ suscipienda erant, ideam conceptam fuisse, ut, nisi executioni obviam opportune irum fuisse, omnia in Anglia quoad Regem brevi conclamata futura fuisse, nihilque amplius fore, quod efficaciter opponi potuisse, reliqui superfuturum. Rebus ira ad summam necessitatem comparatis qua, quæso, criminis specie Juris G. violati accusabitur Rex jubens Residentis illius domum militibus circumcingi, illumque in arctissima custodia detinendi? Abstineant ergo immaturis criminationibus illi in primis, quorum auroritas his in causis eo erit præstringenter, quo ex celsiori in loco agunt. Sed si ab omni prorsus crimen vero vacet illud Regis Georgii factum, culpanda ex adverso mihi jure videtur illa Marchionis HERONI Francia Regis ad Rempublicam Poloniæ Legati, incarcerated Regis Augusti jussu facta, ejusque ex Varsavia in Thuronam transmissio. Concedam omnia ita se habere, quæ contra eum dicit Rex ipse in litteris hac de re ad Cardinalem Primate datis (g). Ibi queritur, Lega-

(f) M. de RAPIN THOYRAS *Histoire d'Angle terre* Tom. XIII. Lib. XXVIII. pag. 145. & seq.

(g) M. de LAMBERTY *mémoires pour servir à l'Histoire du XVIII. siècle* Tom. II. p. 687. seq.

Legatum nimis insolenter erga eum se gessisse. Sermones suos ad reverentiam Regi debitam honoremque non satis compoluisset. Quam male etiam erga ipsum Minister ille Gallus animatus esset, ex litteris ejus interceptis, Rex bene perspexerat. Verum tamen quid ista? si coram Gentium Foro causa esset agitanda. Legatum equidem arguunt sui obliviscentem finesque officii ultra evagantem; sed, quod maximum adesse deberet, nullum necessitatis illius ad vim praesentem cogentis vestigium exhibit. Via ad Dominum patebat, & absque moræ periculo erat usurpanda, revocatio Legati adhuc peti poterat una cum decenti male ab eo dictorum factorum ve pena. Non itaque video, quomodo ab omni temeritatis, Jus G. laudentis, culpa violentia illa defendi possit. Qua etiam indignatione illa a Franciæ Rege accepta fuerit, ex litteris Marchionis de Torcy ad Cardinalem Poloniæ Primatem hac occasione, nomine Regis, scriptis videre licet (b). Antequam responsio ad illas fieret, omnes in universum Poloni in Gallia tunc agentes rerorsione in securitatem facta derenti fuerunt. Sic enim Marchio sub epistola memorata finem: „J' attends sur ce sujet la reponse de Votre Eminence, & Elle ne doit pas être surprise, que le Roi fasse cependant arreter tous les Polonois, qui se trouveront dans son Royaume pour servir de gages de sureté de ses Envoyés.“

§. XXXIII.

Hinc immediate consequitur, si ex causis praefinitis Legati delinquentis Domini aditio plane interclusa fuerit, illum tunc jure posse, pro rei natura, apprehendi, in carcerem conjici, arctis vinculis detineri, interrogari, quin &c, si illa, quæ novit, eloqui noluerit resque gravissima simul & urgentissima necessitatis fuerit, atrox v. c. ingensque conspiratio, tum optime ad funesta consilia extorquenda vis acerbioris apparatu terri, vel etiam extremum ejus applicatione cogi (i),

E 3

manu

(b) M. de LAMBERTY. ibid.

(i) Pauci, ut opinor, ne sciunt

manu agentem manu &c ad occisionem usque repellit. Haud minus denique hinc & ex immotis Aequitatis Naturalis Legibus profluit, prudentem comparationem, eorum omnium moderatricem, semper esse instituendam, juxtaque eam mediorum apertissimorum electionem esse faciendam (k). Quoniam vero oppositorum ratio est contraria, quid jure obtineat in adverso casu, si nimis Dominum Legati delinquentis cum ipse quadam adire adhuc licet, abunde patet. Nihil scilicet eorum omnium, sed Legatum potius ad Principem remittendum esse, ut in eum ipse animadvertis, vel eum laeso Principi dedit.

Scholion. Quam hic quidam præcipiunt dissimilacionem, Aulæ, Provinciæ, Regionis interdictionem, respectu ad rationes status externas habito, potius ex Prudentia Politicæ quam Juris regulis proficiunt, quisque attentus facile perspiciet. Eatenus tamen Juris etiam esse possunt, quatenus nempe media leniora sunt durioribus itaque præferenda, si securitatis ratio id sinat. Si autem dijudicandum, an illa sufficiant; tum accuratissimam facti circumstantiarum notitiam una & earum in Reipublicæ salutem influxus in consilium adhiberi convenit. Regulæ generaliores iis, quas dedimus, quæ simul severæ veritatis censuram non reformident, statui non posse mihi videtur. Plurimi dicunt Legatum delinquentem incolument ad Dominum esse remittendum. Quidam tamen contendunt, hanc transmissionem præcedere debere rei totius ad Principem denunciationem. Alii volunt Legato Custodes honoris nomine, re vero securitatis causa, dari. Audi rursus hic sàpe laudatum Autorem M. de CALLIERES. „Il est vrai, „qu'un

sciant Hollandiæ Curiam questionem Wicqueforio Ducis Luneburgensis Residenti militaram fuisse. Jure ne, an injuria id factum, jam non examino. Ne igitur irascantur mihi infelicis illius viri mane si manes quid sentiant, quasi violentiæ illius laudator existerem, (k) Ill. Wolf. Jur. N. P. I. §. 982.

qu'un ministre qui manque à la foi publique ne mérite pas, " qu'elle lui soit gardée, surtout celui qui fait des pratiques & " des attentats contre le Prince ou contre le gouvernement du " Pays où il réside, mais afin de ne point contrevenir au Droit " des Gens, qui doit toujours être respecté; il est plus à propos de renvoyer de tels Ambassadeurs que de les punir, on peut leur donner des gardes pour empêcher qu'ils ne continuent leur pratiques jusques à ce qu'ils soient hors de l'Etat, en se servant du prétexte honnête de pourvoir à leur sûreté (1)." Sed illa omnia sunt ejus modi, ut dici nequeat, quod nunquam, vel semper, obtinere debeant. Omnibus superius periculum a mora extimescendum diversa, prout facies nexus-que praesentium rerum diversæ se habent, imperat.

§. XXXIV.

Cum præterea vim vi propulsare, jus suum ma-nu persequi, injuriasque privatas vindicare ipsi met Civ-
es prohibeantur, nisi per legitimos tramites viæque ordinariae usurpationem, ob ineluctabilem ac nullis ad-
strictam legibus necessitatem, rerum salutisque sue secu-
ritati prospicere omnino non possint; hinc sequentem subditis a Legato læsis regulam sponte veluti propria enasci vides: *Si Legatus Civium fortunas, honorem, li-
bertatem, membrorum integratatem, vitam denique impe-
tit; illis adversus has injurias prius se defendere non li-
cket, quam necessitatis vis Principis, jure suo eas vindica-
turi, additionem illis prorsus precluserit; sin minus: san-
ctitatem Legati violabunt, proptereaque majestatis Juris
G. sensu læse criminis se obstringent, & penas co nomine debitas commerebuntur* (§. 27. 31. 22.).

Scholion. Optime scio, hominibus altos spiritus geren-tibus, ad iram vindictamque propensis, durum maxime vide-ri, injurias a Legato illatas patienter preferre, cum praesertim sciunt,

(1) *de la maniere de negocier avec les Souverains*, Ch. IX.
Pag. 109.

sciunt, illos, quod persépè fit, eas impune laturos. Verum apud generosos probosque sémpre gravius erit Legationis nomen quam injuria Legati. Eo etiam ad moderationem magis inclinabunt, si reparent, Principes, in poena a Legatis repetenda ceteroqui lenitissimos, nunquam vim adversus illos usurpatam impunem relinquere. Cum Baro STRAHLENHEIMIUS, a CAROLO XII. Suecæ Rege ad Cæfaream Aulam Ablegatus, Comitem ZOBORM consumeliose nimis habuisset, iste gravissime offensus ultiōnem more consueto parabat. Cum vero hoc rescīvisset Imperator, provocacionem vimque quamlibet illi, cum indignationis poenæque severissimæ comminatione, interdixit. Iram moderatus est generosus ille Comes, & donec Charakterem reverendum Ablegatus deposuisset expectandum sibi imperavit. Sed Baronis animum non ita pronum ad reparandum, quam facilem ad offendendum inventit. Rex tamen Suecæ per Residentem suum Viennæ, STERNHOECKIUM, Aulæ Cæsareæ Ministris significari jussérat, satisfactionis postulationem & præstationem, postquam Charakterem exuisset STRAHLENHEIMIUS, ipsi minime displicituram (m).

§. XXXV.

Quia vero temperamentorum, quæ servanda præscripsimus ante, quam vi comprimatur Legatus, ratio plane cesset, si bene compertum habuerit *Principis loci, ubi ille agit atque delinquit, consilia, molimina, uno verbo, improba ejus facinora Dominum habere vel jubentem, vel approbantem, vel conniventem* (§. 30.), *tunc etiam remittere Legatum vel ei jus domum revocandi relinquere minime tenebitur, sed ipse pro modo delicti pœnas decernere executionique mandare poterit.*

Scholion. Hoc delinquentem Legatum puniendi ita circumscriptum jus, quod Principi loci tribuimus, illis, quæ supra firmissimo rationum præsidio stabilivimus (§. 26.) nedum con-

(m) Mr. de LAMBERTY *mémoires pour servir à l' Histoire du XVIII. siècle T. VI. p. 751. seq.*

contradicant, egregie contra consentiunt. Quid tale forsitan somniabunt illi, qui opinioni indulgent communis, ac si nimirum nullum poenarum jus cum status naturalis independentia consistere posset. Putant enim jus illud non nisi superiori, vel ejus nomine Jurisdictionem exercenti, adscribi posse. Sed quos devincere non potuit GROTIUS alius statueris (*n*) autoritas, illos credo convincet evidenter rationumque gravissimum pondus, quibus, ut solet omnia, quae tractat, ira hanc GROTIUS sententiam communivit princeps hujus memoriae Philosopherum III. WOLFIUS (*o*). Pœnam omnem non excludit Legatorum inviolabilitas. Illam dumtaxat respuit, quam, iudicio rite constituto, re ordine judicario procedente, Jure denique Civili omnia moderante prosequeretur ille, qui Jurisdictioni loci, ubi agens Legatus deliquerit, praest. Vehementer itaque approbamus tenacitatem duorum illorum Regis Franciae ad Britannicam Aulam Legatorum in iuribus Characteri, quo insigniti erant, annexis, adversus imminutionem quamlibet, tuendis. Primus erat Stephanus ALBASPINA, qui insidias Reginæ ELISABETHÆ vitæ struxisse dicebatur. Quamobrem illum ad Consilium suum Regina vocavit. „Ille vero, consurgens, dixit, se, Legatum Regium, nolle, in fraudem Regis sui & Legatorum præjudicium, accusationem quamcumque audire (*p*).“ Alter dictus M. du BAS, conspirationis contra Protectorem conflatae reus, gravissimis indiciis, factus fuerat. Coram Consilio CROMWELLI comparere jussus Consiliariis eum interrogantibus respondit: „Qu'il pourroit bien répondre & déclarer, qu'il n'avoit point de connoissance de l'affaire, dont il ne s'éroit point mêlé. Qu'il ne feroit point de difficulté non plus, d'informer Cromwell en particulier, par maniere d'éclaircissement, de ce qu'il en savoit, mais qu'il n'étoit pas obligé, de subir interrogatoire devant le Juge, ni de répondre en Justice; parce qu'étant Ministre Public, il pecheroit contre la dignité du Roi son maître, à qui seul il étoit obligé de rendre compte de ses actions (*q*).“ Ea laus Legatis Gallis est re-

F

lin-

(*n*) *Jur. B. & P. Lib. II. C. XX. §. III. VII.*

N. P. I. §. 1061.
pag. 484.
Sect. XXVII. p. 972.

(*o*) *Jur.*

CAMBDEN. Annal. Angl.

(p) L'ambassadeur de Mr. de WICQUEFORT

linquenda, quod nempe acerrimi Characteris jurium defensores semper extiterint.

§. XXXVI.

Si Legatum delinquentem, ad secum elogio remissum, Dominus nec ipse pro delictorum modo punire velit, nec etiam, deditiōnem postulanti, Populo lēso dedere; justam ea re huic belli causam præbet. Populus enim vel Princeps lāsus, Legatum delinquentem cum elogio ad Dominum remittens, juris Legatum suum puniendi ipsi potius competentis rationem tunc habere velle (§. 32.), minime tamen suum pœnam exigendi jus abjicere, censendus. Retinet igitur adhuc Princeps vel Populus lāsus, transmissione illa non obstante, jus satisfactionem lēsioni a Legato illatæ convenientem obtinendi. Quod si jam animadversionem pro delictorum modo decerne-re intermitat Dominus Legati, eumque postulanti Populo vel Principi dedere recusat, huic sane jus suum & quidem perfectum denegat (r). Enimvero unicuique homini in statu naturali (s), consequenter etiam Gentibus singulis (§. 1.), natura competit jus belli ad-versus jus perfectum denegantem. Manifestum est igitur, causam belli justam (t) Populo vel Principi lēso præbère Legati Dominum, istius delictorum causa satisfactionem debitam, tam per animadversionem, quam deditiōnem, recusantem.

§. XXXVII.

Jura sanctitatis ac inviolabilitatis, quibus gaudent Legati, non solum Principalium jure sarta teatque tutantur, sed proprie etiam personæ jura illa ipsi vindicare possunt. Cum jurium omnium, quibus Legatio con-deco-

(r) Ill. WOLF. *Jur. N. P. I. §. 913.*

(s) Id. *§. 1104*

(t) Id. *§. 1108.*

decoratur, principium ultimum sit tandem a Gente mittente repetendum (§. 15.); hinc statim & manifeste conficitur, jura inviolabilitatis & sanctitatis, quibus eminent Legati, illis nonnisi dependenter a persona Principium, durante Legatione, competere posse. Q.E.U.

Jam porro observavimus, & ex superius deducatis (§. 6.) cuique palam esse debet, J. G. N. omnia, quæ Legationum fini promovendo inserviunt, sollicite sancire. Removebit igitur Jus illud ea omnia, quam obrem a Legationibus suscipiendis deterrerentur homines. Hujusmodi certo sunt pericula multa, quæ Legationem circumsepiunt, & non prius submovebuntur, quam Legati securitatem personæ propriæ causa sibi polliceri poterunt. Quæ etenim Legato, Domini jussa, omni quidem inhonestate, invidia tamen & odio non prorsus carentia, fide exsequenti, animo contentioneque Reipublicæ sua jura fortiter propugnanti, minas interdum & exprobationes audacter jaçanti, Principali denique suo se, ipso innocentem, inimice, contumeliose, & hostiliter adversus eum, ad quem missus est, gerente, quæ, inquam, Legato huic meritissimo extimescenda non sunt ab ira & offensione Principis haud facile sui potentis, & ex illis vindictæ, quam in Legatum exercere vult, prætextum querentis? Quamdiu hæc terricula malaque Legationem circumstabunt, non facile profecto reperientur, qui eam obire cupiant. Cum autem ad securitatem ea tollentem afferendam solum aptissima sint privilegia, quibus Jus G. N. Legationem protegit, ad personam propriam Legatorum extensa; equidem, Jure illo maxime approbante, Legati inviolabilitatis sanctimoniacaque jurium compotes erunt, non mittentis tantum, sed suimet ipsius quoque respectu.

Q. E. A.

F 2

Scho-

Scholion. Ne vero amplius mireris, in jurium illorum societatem, quatenus proprie competit, Legatos venire; cogites insuper rogo, quam parum securitati Legati prospectum esset, si jurium illorum, quæ ejus valla sunt & propugnacula, remissio a solo Principalis arbitrio, amissio vero ab ejus delictis ita dependerent ut, quod vel ignavum, vel Politicæ omnia devoventem, vel injustum & crudelem Principem naclitus esset Legatus, inimicorum idcirco hostiumve iræ, furori & vindictæ omni praefidio nudatus obnoxius relinqu deberet? Paucos certe credo fore Legatos, qui tot tamque probabilitibus periculis caput fortunasque suas ulro objicere vellent. At quantumne quofo hinc non sufflaminaretur totus Legationum finis? Sed jus illud, inquis, ob impotentiam privati hominis, cuius modi sunt Legati, s̄p̄issime inane erit? Verum non ita necessarium, ut privati duntaxat Legationes suscipiant; quin & maxime fieri potest, independentem Principem, gravissimis causis adductum, officium suum in Legationibus alterius causa obeundis oblaturum. Ita vires forsitan non deerunt ut, licet a Principali derelictus, ipse jure belli securitatis offensæ privilegia tueri queat & vindicare, nisi solus, tamen cum sociis. Quid vero hæc moramur? licet id ipsum non esset, an tamen ideo jus inane audier & pro vana quadam umbra habendum, quod vires comites non habeat, atque potentem defensorem? At enim, ut in Jure N. ita quoque in Jure G. N. homines supponimus honestos, juris & officii religiose tenaces. Videmur igitur perperam illa majoris Legatorum securitatis nova munimina ex Jure G. N. arcessivisse. Ne vero prolixior hæc disputatio evadat, id unum dicam. Lex N., credo, incestuosos fratum cum sororibus concubitus detestans & prohibens homines præsumit castos & pudibundos, annon potius intemperantes & libidinosos? Sed ponamus, quod me hercule non concederem, hic tacere Jus G. N., Juri tamen G. adhuc, at arbitrarii apertissime foret constitutio illa tam præclare Legationibus favens. Fini enim Civitatis Gentium ex adverso oblistit id, quo Legationes ita difficiles & periculose sunt, ut plurimi illas obire recusarent. Quod impedimentum cum prius non removeatur, quam Legatis propria securitas a perversis Gentium earumque Rectorum moribus

bus & lineas transflentibus affectibus constituantur; hinc etiam Gentes voluisse debent, privilegia Legatorum non illis ex persona mitrentis tantum, sed ex sua quoque competere. Legem autem Gentium inde nascentem arbitrariam esse, scilicet quoad eam confiendi modum, nemo, qui superius exposita (§. 1. Sch.) animo recolere volerit, inficiabitur. Ceterum Magno GROTIUS eandem de securitate, Legatorum personam muniente, distincta ab illa, quam persona Gentis, illis per Charactrem impressam acceptam ferunt, sententiam sedisse, ex his ejus verbis jure conjicere posse mihi videor. „Jus G. ait, non tantum“ mittentis, cavit dignitati, sed & ejus, qui mittitur, securitati (u).“

S. XXXVIII.

Persona Legati propria & Gentis persona, quæ cum illo communicata fuit, modo concipiendi tantum distinctæ efficiuntur in illo, re ipsa autem in eodem subiecto tam arcte nexuque ita individuo conjunguntur, ut omnia, quæ aduersus Legatum temere violenta, vel ex animo eum Jurisdictioni loci subjiciendi, suscipiuntur, ea, licet caussam extra Legationem haberent, essent tamen nihilominus & dignitati & fini Legationis adversa, seu sanctimoniae & inviolabilitatis jura temerarent (§. 26. 32.). Si quæ igitur actu in personam Legati suscipiantur, quæ vim vel Jurisdictionem spirent; contra reclamant inviolabilitas securitasve ejus, quamvis ea caussam extra Legationem haberent.

Scbolion. Lubrico itaque fundamento mihi videtur nisi eorum opinio, qui inter caussas ad Legationem spectantes & non spectantes, ante vel per Legationem suscepitas, distinguendum purant, cum de Legati immunitatibus agitur. Juris igitur G. placitis conformiter, hoc discrimine explosa, nunquam in jus vocari vel tanto minus vi rapi poterit Legatus. Executiones, arrestum, incarceratio, aliæque hujusmodi seu judiciales seu extrajudiciales violentæque coercitiones, quo-

F 3 cum-

(u) *Jur. B. & P. L. II, C. XVIII, §. 7.*

cumque casu contra personam ejus decretae, pro improbis cœptis, inviolabilitatem sanctitatemque Legatorum impenitibus, habenda. Nobilissimum proxime evicta illustrans exemplum nobis subministrat violentia, in Moscorum Imperatoris PETRI MAGNI Legatum Comitem a MATUEOF Londini exercita, simul & honorificentissima, quæ eam secuta fuit, satisfactio. Legatus æs alienum satis magnum apud privatos Anglos contraxerat. Cum discessum, solutione non facta, pararet, quidam creditorum legem Anglicam, debitorum apprehensionem permittentem, prætendentes a Magistratu, Legum Gentium, uti apparuit, pessime perito, jussum, officialibus Justitiæque ministris Comitem apprehendendi, impetrarunt. Audiamus nunc immortalis memorie Russorum Imperatorem ipsum, in epistola ad ANNAM Angliæ Reginam hac de re scripta violentiam, quæ secuta est, describentem: „Non potuimus præterire, „quin Majestati Vestrae notificaremus, quanta animi cum ægri- „tudine & horrore ex submissa Andreæ de Matueof, Legati „nostræ ad Aulam Vestram nonnullis importantibus instrucci „commissionibus, relatione insperatam unquam percepimus „notitiam, quo modo illum Legatum, postquam valedicto- „riam a Majestate Vestra obtinuisse audientiam, Londini in „urbe Residentia Vestra, in platea publica, premeditata ex „malitia, consuetoque (uti appetet) nonnulli Justitiæ Famuli, „per quendam vice comitem (vulgo Sherif) immisæ, more „Latronum contra Publica Gentium Jura, & cum inaudita „exemplaque carente eorundem violatione aggressi, dispers- „sis ipsius Famulis, Rhedam ejus vi Barbara infringendo, „eundemque gladio, canna, pileo spoliando, vestimenta lace- „rando tanta ignomina affecere, quam non solum ejus Chara- „eteris Ministro Extraneo, nequidem plebejo ex politioribus „Genibus quispiam attentare auderet, nisi rigorosissime pu- „niendus; Et quod maxime abominabile est, dum dictus No- „ster Legatus clamore auxilii contra violentiam & latrocinium „nonnullos homines attraxit animos habentes, eundem mani- „bus compilatorum liberare, cumque hi eo fine Rhedam de- „tinentes & causam rei scire cupientes illum in proximam du- „xissent Cauponam, effrontes malefici jussum Magistratus Mer- „catorum ad detentionem dicti Legati pro 50. libris (vulgo „pondi

pondt Sterl.) ab illo, ac si nonnullis Mercatoribus debitis, « emanatum produxere, & cum currentes re explorata iterum» migrarent, continuo Rhedæ conductitiæ vi impositum, in « quandam infamem domum, Blakreeven nuncupatam, deri- « nendum tradidere. Et quamvis &c.« Hæc acciderant 21. Ju- llii A. 1708. Anno vero 1710. præstite fui satisfactio illa, quæ, quo acris desiderata eo quoque plenior fuit, & honorificen- tor. Eam nobis exhibit Vir Ill. M. de LAMBERTY in magna sua &, propter præclaros in Jure Gentium & Publico usus, eximia collectione (v). Czari quoque Epistolam, cuius par- tem excerptimus, una cum omnibus ad hanc rem spectantibus documentis apud eundem invenies (x). Hic autem videmus

Lega-

(v) *Memoires pour &c. Tom. VI. p. 228.* Toti autem rei narrationi hæc præfigitur inscriptio: *Relation de ce qui s'est passé à Moscou le 17 de Fevrier le jour que sa Majesté Czarienne PIERRE I. Empereur de la grande Russie admit a l'Audience publique son Excellence Monsieur Charles Whitworth, ci devant Envoyé Extraordinaire de sa Majesté Anne Reine de la Grande Bretagne, & depuis revetu du Caractere de son Ambassadeur Extraordinaire, Commissaire & Plenipoten- tiaire exprès, & précisément pour faire les excuses solen- nelles au nom d'icelle, en satisfaction de l'insulte qu'on fit à*

*Londres le 21. Juillet
1. Acut en 1708. à son Excellence Monsieur André Artemonides de Matueof, Ministre d'Etat Gouverneur du Duché de Jaroslavie, alors Ambassadeur Extraordinaire de sa Majesté Czarienne à la Cour de sa Majesté Britannique.*

(x) *Tom. V. pag. 168. & seq. p. 204. & seq. Pag. vero 240. & 241. in primis continetur placitum a summo Brittannia Senatu editum, quo verbis expressissimis omni quocum- que jurisdictionem spiranti actu prohibetur Legatorum persona. Lectu eriam dignissimum est scriptum, quod pag. 237. & seq. reperitur, & omnium Ministrorum Pu- blicorum Londini tunc agentium nomine Anglicani Status Secretariis oblatum fuit. In eo quædam in Edicto omissa de Legatorum immuniratis proponuntur, & eorum ad- ditio petitur. Id vero ibi in primis urgent Legati, te pri- vilegia*

Legatum in causa extra Legationem versantem. Videmus creditores, qui de æris illius alieni spontanea solutione spem omnem merito, ut videtur, abjecerant. Fertur enim Legatus ille haud una vice ex locis, ubi agebat æque alienum grande conflaverat, infalutatis creditoribus, quod sane incivile erat, profectum fuisse. Artamen, quod hic Czaro abominabilius videtur, est jussum Magistratus Legati detentionem permittentis. Hæc, quamvis aliquantulum prolixe, disputare libuit, cum verendum erat, ne clari nominis Doctorum, qui aliud sapiunt, autoritas veritati forsitan officeret.

§. XXXIX.

Hominum Legati voce complector: primum *Familiam* ejus, in qua Uxor, Liberi, & Famulitum totum continentur; deinde ejus *Officium*, quo refero omnes sacrorum Ministros. interpres Legationis, scribas quoslibet, tam Legationis, quam proprios, JCtos, Medicos &c.; denique *Comitatum*, quem formant illi omnes, Ephebi praesertim, qui honoris causa pompaque Legationis adaugendæ, vel etiam mature sensimque ad res publicas tractandas informandi, Legato adjunguntur vel ipsum sequuntur, qui tamen omnes Legationis decori splendorive serviunt. Galli dicunt, *les gens de l' Ambassadeur*, sensu tamen paullo restrictiori, cum vulgo neque uxor, neque liberi Legati sub voce illa includantur.

§. XL.

Per *Vasa* Legatorum seu Legationis intelligo res omnes, quas ad necessitatem & commoditatem, vel etiam jucunditatē vitæ secum habent Legati.

Scho-

vilegia sua huic Edicto minime, verum Juri Gentium duntaxat simul & Confuetudinibus Pactisque inter Gentes vigentibus accepta referre.

Scholion. *Huic definitioni confirmanda & illustranda simul mire intervint locus, quem ex scripto proxime memorato, Legatorum omnium, qui Londini erant, nomine, confessio hic describam. „Quatriement, qu'il n'est fait aucune mention dans le même Bill, de ne point arrêter, ou détenir les équipages & autres effets de quelque nature qu'ils soient, appartenants aux dits Ambassadeurs ou Ministres Publics, qui pendant sont censés inter *vasa Legationis* (y).“ Sed quid est illa omnigena supellex præter apparatum rerum, quas necessitatis & commoditatis ratio, vel etiam jucunditatis consecratio, comparare suadent? Sarcinæ vero earum vel transvectioni, vel inclusioni custodiæque inserviunt. Exhaurit igitur definitio nostra id omne, cui significatio vox illa *vasa Legationis*, destinata fuit.*

§. XLI.

Gentes Jure, quo reguntur, teneri ad dignitatem locumque suum bene tuendum, indeque splendorem & decus, quo jam nitescunt, decenter amplificandum facile quisque intelliget, qui modo hæc omnia ad status externi perfectionem spectare reputabit, simulque in animum revocare volet, Gentibus Jure G. N., ut statum suum ad maximum perfectionis gradum elevant, haud minus esse contendendum, quam hominibus, qui Juris naturæ scita audiunt, strenua opera est navanda & continua, ut tam amplum perfectionis modum consequantur, quam ab eis pro virili rerumque conditione fieri potest (§. I.) (z).

§. XLII.

Leges N. & G. simul Legato jus homines & vasa secum habendi largiuntur. Lex ipsa Naturæ Legatum ad vitam conservandam, commode jucundeque transfigendam obligat (a). Eadem quoque N. L. simul &

G

Chri-

(y) Mr. de LAMBERTY l. c. p. 239. (z) Ill. WOLF. Phil. pract. univ. part. I, §. 152. (a) Id. Jur. N. P. I. §. 350, 468. 472.

Christiani conditio eum ad cultum D^eo, juxta præscriptum ab Ente illo perfectissimo modum, exhibendum obstringit (*b*). Præterea Legatus, si uxorem & liberos habeat, ad ejusmodi officia illis præstanta teneatur, quibus si satisfacere velit, & cohabitatio cum illis, & eorum præsentia requiritur (*c*). Jam porro Legato, qui Juris N. & G. religiosus observator esse vult, plurima fuscipienda sunt negotia, quæ tam propriam felicitatem, quam rem Legationis respiciunt (*d*) (§. 2. 5. 16.), quibus tamen omnibus ipse solus sufficere nequit. Legationi denique tantum decoris splendorisque conciliandum, quantum Gentis mittentis locum & dignitatem deceat (§. 41.). Verum enimvero officiis his omnibus enumeratis, tam hominem quam Legatum spectantibus, ipse satisfacere nequit, nisi primum vasal (§. 40.), famulos & aliquando medicos secum ducat & habeat: deinde etiam sacerorum Ministros: tum uxorem & liberos: post Interpretes & Scribas tam Legationis, quam proprios, interdum etiam JCtos, uno verbo tot officiales, quot Ministeria apud ipsum res Gentis, vel privata ipsius requirit: denique comites splendori decorive Legationis amplificandæ causa adjunctos. Hominibus itaque (§. 39.) & vasis opus habet Legatus, ut suis officiis, tam illis, quæ ex essentia & natura humana statuque suo privato præsenti procedunt, quam illis, quæ ex Legatione fluunt, satisfacere queat. Leges autem N. & G. iura omnia Legatis imperiri censentur, sine quibus officiis, tam hominis quam Legati, suis ipsi satisfacere nequeunt (*e*) (§. 1.). Qui igitur vel min-

mum

(*b*) Id. c. I §. 1123. 1143.(*c*) Id. Politic. C. II. & III.(*d*) Id. *Jur. N. P. I.* §. 280.(*e*) Id. *Phil. præf. univ.*

part. I. §. 159.

mum quidem amplius addubitari potest, an Jura N.
& G. Legato facultatem homines & vasa secum haben-
di concedant?

§. XLIII.

*Homines & vasa per accessionem ad Legati perso-
nam de ejus inviolabilitate atque sanctimonia participant
(f).* Quia enim persona in Jure nihil aliud est nisi sub-
iectum obligationum juriumque capax (§. 16.); ad Le-
gati quoque personam referenda sunt jura omnia, quaे
Legato adjudicantur. Ad ejus personam itaque tam
propriam quam per Characterem communicatam perti-
nent jus, comites & vasa secum habendi (§. 42.). Utra-
que vero cum sit inviolabilis & sancta (§. 20. 22.); jus
ipsum homines & vasa secum habendi utriusque natura
adhærescens immunitatis illius particeps non esse nequit;
consequenter homines & vasa Legati de ejus inviolabili-
tate ac sanctimonia participant necesse est. Q. E. U.

Jam vero ratio inviolabilitatis & sanctimoniae,
cum hominibus Legati ejusque vasibus communicatae, non
in ipsis, quod per se patet, sed in voluntate Gentis vel
Legati ea adjungente continetur. Hinc haud minus e-
videnter patescit, homines vasaque Legati per accessio-
nem demum ad ejus personam de inviolabilitatis sancti-
tatisque privilegiis participare. Q. E. A.

Scholion. RICHARDUS ZOUCHEUS JCtus Anglus,
qui ceteroqui Legatorum personam Jurisdictioni loci, ubi de-
gunt arque delinquunt, eximit, aliud tamen de eorum homi-
nibus pronuntiat (g). Sed nullo, meo judicio, rationis colore
adumbrari potest opinio illa. Non minus enim extra territo-
rium constituantur Legatorum homines & res, quam Legati
ipsi. Ita ut Legatus cum illis, quaे ad eum pertinent, omni-
bus,

G 2

(f) GROTIUS *Jur. B. & P. Lib. II. C. XVIII. §. VIII.*

(g) *Traet. de Legato delinquente.* Cap. ult.

bus, non male Statum independentem referat intra alterius Status fines existentem. Qua vero cum Juris specie dicetur, Dominum Regionis Jurisdictionem suam extendere valere in Rem publicam liberam, quæ in eodem cum eo terrarum tractu fides suas habet? Coeterum Legati uxoris, in specie, dignitatis violatæ, præclare tamen defensæ, exempla apud Dn. de LAMBERTY habemus (b).

§. XLIV.

Hinc continuo consecutionis filo efficimus 1.) omnes personas, quæ sunt, tum in Familia, cum in officio, vel in Comitatu Legati, loci Jurisdictione, licet gravius delinquent, esse tamen exemptas; quod de rebus quamvis oppignoratis etiam dicendum (§. 30. 43. 23.). 2.) Omnem illis illatam vim, quam periculum Reipublicæ imminens, & prorsus præcisa spes juris sui alia ratione obtainendi non expostulant, esse illicitam, sed judicem eorum competentem esse potius adeundum (§. 43. 32.).

Scholion I. Illustrissimum est in hoc, de Legati hominum Exemptione, argumento, & a multis jam relatum exemplum amanuensis cuiusdam nomine BRUNELLI, qui ab officio erat SUNICÆ Hispanici ad Regem HENRICUM M. Legati. Ille, referente, ætatis recentis Historicorum principes THUANO (i), cum Merario nobili Provinciali de Massilia Hispanis proditione tradenda conspirasse poene convictus fuerat. Jussu Regis igitur manus illi injiciuntur, & conspirationis totius ex ejus Confessionibus secreta explorentur. „Inde, ait Historicus, orræ inter Regem & Sunicam, qui Brunellum sibi reddi postulabat, peracerbæ altercationes, cum ille exterorum Principum privilegia atque adeo Jus G. violari contenderet, capto & in Jure interrogata oratoris externi domino stico.“ ibid. Rex autem privilegia Legarorum non inficiatur, sed, illa eo usque valere, merito negat, ut nempe Principem

(b) *Memoires &c.* T. I. p. 18. & seq. T. II. p. 159. & seq.

(i) *Historiar.* T. III. Lib. CXXXIV. pag. 1089.

cipem impedit possint, quo minus perniciem & pericula, Regioni suæ a Legatis vel eorum hominibus instantia, averterat. Periculo vero illo remoto, conspiratione detecta & oppressa, Brunellus Sunica repentina redditus (k). Quæ omnia Juri G. maxime consentanea esse, leviter attentus intelliget.

Scholion II. Pone etiam, Legati homines grande æs alienum contraxisse; nullus tamen Jurisdictionis executorius actus in illos legitime suscipi poterit, e. g. mobilium pignoris vel solutionis causa abstractio, nisi frustaneas, & apud Legatum, & apud ejus Dominum amicas compellationes expertus fuerit Regionis Dominus (§. 42. 38.).

§. XLV.

Ædes Legatorum inviolabiles sanctasque esse, iisdem principiis, quibus aliarum rerum ad Legati personam spectantium inviolabilitatem sanctitatemque adstruximus (§. 43.) innixi, adserimus.

Scholion. Externas quasdam notas Majestati, cuius imaginem circumfert Legatus, proprias ipsius exornare ædes, consuetudine haud improbanda invaluit. Sic enim præsentia Domini tanto vividius expressiusque effigiatur, eique debitæ reverentiae sensus hac ratione intensus, novum quoque Legati securitatì munimentum præstat. Hinc ibi invenies sedile, quod alias Majestas ipsa insidet (une Chaise d'Etat) Uranicum (un Dais), & hujusmodi alia, quibus superemicare amat Regia potestas. Insignia etiam Genitris mitensis eandem ob causam Legatorum ædium portæ superaffixa videbis. Severe igitur coercendi cives illi nequam ad ædes Legatorum concursum turbamque facientes, portas vi effringentes, lapidum jaētu fenestras petentes & evertentes, vel alia ejusmodi ex animi furore & insolentia contra Legatorum ædes admittentes. Quo animo Principes hæc facinora spectent, recentissima exempla, quorum unum Anglia vidit, alterum vero Suecia, nos docent. Jam nunc ad quæstionem haud ignobilem, de Legatorum scilicet in familiam, vel potius homines suos, Jurisdictione transimus.

G 3

§. XLVI.

(k) Id. p. 1090. Lit. D.

§. XLVI.

Legato in homines suos Jurisdictionem competere, eumque illam in aedibus suis exercere, vel Principalis, cuius Imperio homines illi sunt subiecti, vel Principis loci, Jurisdictionem suam hac ratione immuni existimantis, solum interesse palam est. Cum autem illius concessio impedimentum ex una parte tollat, & propter vanam hujus opinionem (§. 44. num. 1. §. 45.) quod obsit ex altera, nihil sit; hinc extra omne exceptionis periculum statui posse mihi videtur: *Legatum in personas sub familia, officio, comitatuque suo comprehensas exercere posse Jurisdictionem, si modo Principis legantis concessio praecesserit* (§. 39.).

Scholion. M. GROTIUS putavit, Jurisdictionem Legati in homines suos ex concessione pendere ejus, apud quem agit. Rationem autem, quam adducit haec est; *quod istud (Jurisdictione Legati in homines) Juris G. non sit* (1). Vis consecrationis valde exigua, ignoscat Vir summus, ne dicam nulla. Quod enim Jurisdictione ea Legati in homines Juris G. non sit, inde solum sequitur, illam inter jura, quæ Lege G. imperante Legatio complectitur, non inveniri. Sed ex eo solo minime adhuc liquer, an portius ex Principis loci, quam mittentis concessione, vel hujus, quam illius, vel utriusque simul illa dependeat? Evidem ex principio Juris G., quod ipse, Vir mea laude major, posuerat, Legatos nempe extra territorium constitui fingi debere (m), sententia illi, quam amplexus est, contraria consequentia haud nimis remota fluir. An enim latius Imperii Principis, ad quem missus est Legatus, fines patet, quam ipsius territorii? Id nemo dicet. Concedere igitur potest imperium Princeps, quod ipse non habet, si ab ejus concessione pender Jurisdictione Legati in homines suos. Ea partim agnovisse videtur Dn. van BYNCKERSH.; nolle tam ele-
gantissimi ingenii peracrisque judicij Virum poenias Capitales exce-

(1) *Jur. B. & P. L. II. C. XVIII. §. VIII. n. 2.*

(m) *Id. I. c. §. IV. n. 5.*

excepisse, & præter mitteris concessionem, ejus, ad quem mittitur Legatus, in Jurisdictionis hujus exercitum consensum etiam requisivisse (n). Indignatio Gallorum, propter Marchionis MONALDESCHII cædēm, in eorum regno Regiæ Sueciæ jussu ac inter privatos parietes factam, minime me mover. Illos enim jure indignatos fuisse censeo. Adducat quis, amabo, vel unicum fundamentum, quo CHRISTINA prætensum illud in alterius regno supremum in homines imperium fulcire potuerit. Ceterum Jurisdictionis a Legato in homines exercitæ exempla non defunt, laudatus Scriptor allegat A. A, qui talia multa proferunt. Recens ætas etiam eorum plane infœcunda non fuit. Ego his omnibus addo, Legatum aliquando justæ, ex præsumpta Principis concessione, Jurisdictionem in homines exercere posse, eosque dedere. Id verum erit, cum v. c. ad crimen aliquod grave hominis Legati, plebs in tantum concitur furorem, ut ne vocem quidem Domini audiat, sed armata & furibunda vim præsentem minitetur Legato, nisi hominem vel puniat ipse, vel poenæ tradat. Tunc puto Legatum, in tam imminenti periculo constitutum, rite Principalis voluntatem conjectaturum, cum ejus, in delinquentis punitionem præsentem, vel deditionem consensum preverter. Hac ratione motus fuisse videtur Francia Regis apud Anglos Legatus Marchio RONIUS, qui in virum juvenem, generosa Parisiensi familia oriundum comitem suum, morris sententiam dixit. Rixa inter Gallos quosdam & Anglos in loco minus honesto nata, ille Angulum occiderat. Protinus in furorem agitur plebs Anglicana, exitiumque Gallois omnibus denunciatur. Hi ad ædes Legati confugunt. Periculum instans advertens Legatus cædis autorem capitis damnavit, eumque judici ordinario plectendum tradidit. Gratiam tamen dedit illi Rex Angliae HENRICUS IV. Legati agendi rationem probavit. Sed vehementer gratiam reo ab Angliae Rege factam improbabvit, & quidem merito, HENRICI Consilium (o).

§. XLVII.

(n) *De Legatorum Foro competente Cap. XV. p. 507. Cap. XX. p. 542.*

(o) M. de WICQUEFORT. l. c. p. 587.

§. XLVII.

Si homines Legati mittentis subditi sint; Legatus eos delinquentes Domino territorii, deditio[n]em postulan-ti, dedere, vel eos ipse punire non poterit, nisi jus illud ei concesserit Princeps. Si enim homines Legati mittentis subditi sint; Legati subditi non erunt. Quamobrem cum alicujus deditio vel punitio imperium in eum, vel Jurisdictionem, saltem ex concessione supponat; evi-dentissime patet, Legato, qui ipse subditus est, nullum eorum, nisi concessionem Principis habeat, licere.

§. XLVIII.

Hinc invicta consequentiæ necessitate educimus

- 1.) Legatum perperam agere eoque nomine poenas me-
reri, cui cum Imperium in homines mittens contulerit,
illos tamen, quamvis maleficiis obstrictos, punire de-
dereque detrectat (§. 28.). 2.) Illum ab omni culpa
immunem esse, quin & laudandum, si in homines de-
linquentes animadvertere vel eos dedere recusat, cum
ejus faciendi potestatem nullam mittens, eorum Dominus,
ei impertitus fuerit (§. 47.). 3.) In priori casu
tamen haud magis quam in altero ad vim confessim pro-
currere licere, illæsa Legati sanctitate, e. gr. violenta ma-
nu delinquentes extrahere; sed rem esse potius totam ad
Dominum remittendam & violenta remedia prius adhibe-
re prohibitum, quam circumstantia ad eorum usurpa-
tionem præfinitæ obtineant (§. 44. num. 2.) (p).

Scholion. Ex his me tacente patebit, quænam sit ger-
mana Juris G. sententia, de violenta illa famulorum BELLO-
MONTII Portugalliae ad Hispanos Legati apprehensione (q).
Quan-

(p) GROTIUS l. c. §. VIII. (q) Mémoires Historiques
Mois d' Avril p. 476. & Mois de May p. 595.

Quantumvis enim ex facti relatione, sicuti eam exhibet ipse Hispaniarum Regis status Minister in litteris ad Legatos Principum ad Aulam Hispanicam hac de re datis, abfractio-
nem illam facinorosorum famulorum dijudicaremus, nihilomi-
nis tamen, si verum dicere licet, Jus G. hoc factō offendit
fuisse dicendum. Nam hæc unica non fuit jus suum obvinen-
di, quæ relicta erat, via. Cur non compellatus fuit Dominus?
Et ad fontium evasionem præcavendum interea custodes con-
stitui secundum periculi naturam potuerunt. Simpliciter au-
tem de Lusitani Legati factō ob diversitatem enarrationis ab
utraque parte facta judicare nequimus. Nunc vero ad Lega-
torum ædium immunitates distinctius explicandas progredimur.

§. XLIX.

*Quicunque ad Legati domum Jurisdictionem Prin-
cipis sui evasuri confugiunt, cum illis jura inviolabilita-
tis atque sanctitatis communicare nequit Legatus.* Illi e-
nim, qui Principis Jurisdictionem evasuri ad ædes Le-
gati confugiunt, sunt illius cives vel constantes vel tem-
porarii. Nam omnes, qui præter Legatos eorumque
homines intra fines territorii constituuntur, ad al-
terutros referri necesse est. Cum autem neutri ad Le-
gationem pertineant (§. 5.); immunitatum quoque illi
annexarum participes fieri nullo modo, ne quidem vo-
lente Legato, possunt (§. 16.).

An adhuc tibi dubia supersunt? Illa alio modo
executiendi periculum faciam. Concedam tibi Legatum
benignum privilegia sua cum istis transfugis posse com-
municare. Agedum quid inde? Poterit igitur Lega-
tus inviolabilitatem subditis Principis sui Jurisdictioni
sese subducentibus tribuere. Ergo etiam jus superiori
in personam & actiones subditorum competens auferre
(§. 19.). Consequenter ab arbitrio Legati dependens
erit nexus superiorum & subditos intercedens. Et, quo
absurdorum feriem concludimus, receptatio illa impro-

ba vim subditi personæ ejusmodi sanctitatem imprimendi habebit, ut si quid in eum suscipiat eorum Princeps, crimen gravissimum admittere, & mittentis quidem majestatem lädere sit censendus (§. 22.). Apage! ridiculas nugas.

§. L.

Quin immo domo sua illos arcere tenetur Legatus, ingressos vero reposcenti Principi statim reddere, & quidem re cum Principali haud communicata, si id urgeat alter. Quoniam enim illi superioris territorii, ubi degit Legatus, sunt subditi, hic eos Principis Jurisdictioni sese subducentes suarum ædium aditu non prohibens, vel ingressos reposcenti reddere nolens, vel saltet non inconsulto Principe suo, cum id tamen Legationem minime attrineat, quid aliud, fodes, id esset, quam Principi subditos eripere? Cum tamen facultatem Reipublicæ, ad quam Legatus missus est, adeo damnosam ipsi neque ex propria persona, neque vi muneris (§. 28.) competere queat; circa obligationem illa abstinendi, quæ est, Q. E. D., nullum amplius dubium remane-re potest.

§. LI.

Secus agente, adeoque delinquentे Legato, non illico tamen vim ædibus adhibere, transfugas extraherē, Legatumque punire licebit. Quin si prius ad vim & arma Princeps loci procurrat, Legati ædes obsideat earumque fores confringere enitatur, manum militum, qui receptatos subditos abducant, in illas immittat, aliae his violentis factis similia prius suscipiat, quam a Jure G. N. præscripta temperamenta observaverit; Legati sanctitatem graviter violabit (§. 45. 32.).

Scolion. V. A. Dn. van BYNCKERSH. violentam facinorosorum ex ædibus Legati extractionem simpliciter, si modo eos

do eos reddere recuser Legatus, permittit (r). Inde nihil reprehendendum invenit in Hispanorum facto, qui Francia Regis Legati domum vi intraverunt, cum ille quorundam ex comitibus, qui Hispanos inter rixandum occiderant, extractioni suscepit restitisset. Sed cum sententiam illam A. C. nullis rationibus fulciverit, ex autoritate nuda firmiter stabilitam nostram labefactari posse non arbitror. Nam haec statuere non potuit, quia hoc in casu Legatus in facinore aperiissimo versatur; cum ipse Legatum propter manifestissima delicta privilegia sua semper amittere non censeat. An salutis publicae ratio eum permovit? Sed illa me non minus vehementer moveret, non eo usque tamen, ut extra cogentis necessitatis casum vim aliquam, si sacrosancta manere deberet Legati persona, adversus illum licitam declararet. Nulla autem ejus necessitatis vestigia in allegato ex MORNACIO ad l. 2. §. 3. ff. de judiciis casu, quem inferius ex MEZERAY citavi, reperio. Illam vero adgnoscimus in altero casu, quem ex WICQUEFORTIO (s) adferit laudatus A. Instigante nimirum Franciae Legato, Wilhelmo PELLISSARIO Montispessulani Episcopo, Venetam Rempub. probebant, eique nihil nisi funestissima machinabantur intimi ejus Senatores. Conjuratione vero Senatui patefacta, quod unius conjuratorum uxoris impudiciriae debitum; in Francici Legati domum quidam ex proditoribus fese receperunt. Tum eos per Magistratum, ad Legatum missum, repertit Senatus. Sed Magistratus ille, *Advocador* dictus, repulsus est inauditus, & qui eum comitati erant Justitia Ministri male habiti fuerunt. Hoc leniora frustra experitus Senatus, ne quid detrimenti Respublica caperet, ad duriora progrediendum censuit, cum maximi interestet proditores confessum in potestate sua habere. Ab illis enim arcana conspirationis erant extorquenda, ut malo, quod tam proxime instabat latiusque serpere poruisse, tempore obviam iretur. Cui accedebat, pravorum consiliorum Episcopum non solum participem esse, sed architectum & moderatorem. Hoc omnia perpendens sapientissimus Senatus vim tandem decrevit. Milite circumscriptae Legati ades. Tormen-

H 2

ta bel-

(r) *De Foro Legatorum* C. XXI. p. 548. 549.

(s) c. I. S. XXVIII. p. 597.

ta bellica admota, atque ruina ædium portis serio intentata. Monitum adhuc ultimo, minas exsecutionem fore excepturam, ni actum traderentur proditores. His perterritus Episcopus dictorum effectui per redditionem occurrit. Hac & pari necessitate adstante vim non proscribimus. Quin eam tunc etiam adversus ipsam Legati personam supra permisimus. Sed Jure G. præceptam gradationem observari volumus. Cum vero quæstio ista inter gravissimas ad hoc argumentum pertinentes, propter frequentissimas, quibus & olim & hodie quoque ansam præbuit, inter Gentes controversias, sit referenda, unum adhuc, sed recentioris memoriae, exemplum adducam. Clarissimæ sunt arbitror omnibus altercationes, quæ inter Hispanos & Anglos occasione violentæ Ducis RIPPERRÆ ex ædibus STANHOPII, ad illos Legati, abductionis ortæ. M. ROUSSET in præclara sua J. G. & P. collectione rem toram in serie sua ex documentis ipsis exhibet (t). De facti ipsius circumstantiis dubiis non ero maxime sollicitus; non etiam examinabo an STANHOPII Ducem recipere debuerit vel non, quorum tamen prius verius videtur. Non etiam judicium proprium proferam, sed judicium Ducis NOVOCASTELLANI, quod mihi Juri G. sumopere conforme videatur, ex literis excerptam, quas, nomine Anglia Regis, ad Hispanum Londini agentem Legatum, violentiæ illius occasione, scripsit. Hæc sunt ejus verba: „Ainsi si personne ne peut nier, qu'apres tout ce qui s'éroit passé de part & d'autre, la force dont on s'éroit servi pour enlever ce Duc de la maison de son Excell. sans en avoir auparavant obtenu ou du moins demandé le consentement de sa Majesté Britannique, doit être regardé comme une infraction du Droit des Gens.“ ibid. p. m. 89. Paullo inferius vero: „Sa Majesté se persuade, que votre Excellence même, sans décliner si Mr. Stanhope avoit droit, ou non, de donner sa protection à Mr. de Ripperda, avouera, qu'apres tout ce qui s'éroit passé entre sa Majesté Catholique ses Ministres & Mr. Stanhope, il éroit nécessaire du moins suivant toutes les règles, avant que d'envoyer des Soldats à sa maison, que la susditte Resolution du Conseil de Castille lui eut été notifiée dans les formes, & que sa Majesté Catholique en conséquence de cette

(t) Recueil Historique d'Actes &c. T. III. p. 69. & seq.

cette Resolution s'eroit determinée a faire enlever de force le^e Duc de sa maison, en cas qu'il ne voulut point le livrer, & qu'on auroit dû attendre, jusqu'à ce qu'on eut vu l'effet que cette notification auroit produit, puisqu'il n'y a qu'une extreme nécessité, qui dans un tel cas auroit pu justifier la violation des Immunités de la maison d'un Ambassadeur.^e ibid. p. 91. Quam misericorde Viri Perillustris, Britanniae Regis nomine loquentis, verba illustrent & confirmant principia nostra, his intendentis animum effugere nequit.

§. LII.

Cum autem *Jus Asyli* hodie vocetur illud, vi cuius nemo ex aedibus Legari, in quas confugit, propter iliarum sanctitatem vi abstrahi potest; Hinc, & ex proxime demonstratis simul, unicuique perspicuum fore arbitror, quae sit vera Juris G. N. sententia in quaestione, an & quousque *Jus Asyli* Legatorum aedibus sit adscribendum?

Scholion. Hic iterum a *Grotio* discedere cogimur, & ex iisdem rationibus, quibus dissensum nostrum in quaestione de Jurisdictione Legati in homines corroboravimus, cum Vir maximus unam eandemque de utraque quaestione sententiam dixerit (*u*). Coeterum *Jus Asyli*, quo usi sunt veteres, Hebrei præsertim, valde ab isto diversum est (*v*).

§. LIII.

Si ea sit Juris *Asyli* indoles, ut facinorosis hominibus receptaculum atque securitatem aduersus paenam merita subministret; Jure G. N. Legati aedibus nullum *Asyli* *Jus* competere potest, illud acquirere consuetudo nulla valet, jure notatur factum *Principis* in *Regione* sua id concedentis, & improba est postulatio ejus, qui Legati sui aedibus illud vindicare intendit. Si enim in eo jus *Asyli*

H 3

con-

(*u*) l. c. (*v*) Id. l. II. C. XXI. §. V. SELDENUS
J. N. & G. secund. Discipl. Hub. IV. 2.

consistat, ut facinorosis impunitatem præstet, illud Juri N. repugnare palam est. Cum autem sine contadictione dici nequeat J. N. quid Juri G. N. adversum statuere (§. 1.); Jus Asyli eo sensu acceptum Legati ædibus J. G. N. competere nequit. Q. E. P.

Quoniam autem Rationi consentanei actus consuetudini introducendæ requiruntur, illi vero tales esse nequeunt, qui J. G. N. adversum habent; Juris G. Consuetudinarii quoque esse nequit Jus illud Asyli (vi num. 1.). Q. E. S.

Cum denique Princeps alteri facultatem J. N. & G. repugnantem in Regione sua concedens, & hic eam postulans, sacra illa hominum Gentiumque jura adverfa fronte oppugnent, jure sane notatur utriusque Principis factum, illius, qui hoc foedum Jus Asyli ædibus Legatorum competere in Regione sua tolerat, hujus, qui idem Legato suo vindicare conatur. Q. E. T. & Q.

Scholion. Juris nomen hujusmodi juri non potest, nisi maxime improprie loquendo, tribui. Est potius genuini Asyli juris abusus. Illud etiam aperte non postulant Principes, sed vero jure ita plerumque utuntur, ut quoad effectum parum discriminis sit. Si enim Legati sui facinorosorum evasione faveant; tunc pro coepitis adversus J. G. habent impedimenta omnia, quæ subductioni illi injuste opponit Regionis Princeps. Ita ut raro intra fines Asyli juris sece contineant Legati, eosque protegentes eorum Domini. Injuriis, quæ exinde enasci possunt, dijudicandis interfervire poterit propositio nostra. Sane quoties facinorosorum, quos privilegiorum suorum particeps fieri non puduit Legatum, evasionis periculum suberit; illam jure suo omni conatu impedire potest Princeps loci. Ili autem conjecturæ toties locus est, quoties Legatus facinorosos, quos tales esse novit, & receperat, & eos poscenti Principi reddere detrectat. Custodibus tunc domum ejus constringere licebit, & vim adhuc propiorem adhibere,
si hoc

si hoc non sufficiat. Securitatis ratio cum id exigat, ordinem J. G. N. præscriptum circa Legati ædibus sanctitatem cautions provisionesque illæ minime turbant (§. 51.). Licentia vero eo interdum processit, ut non ædibus tantum Asyli privilegia vindicarint Legati, sed illa etiam in Regiones integras late quoquoversum extra ædes parentes extenderint. Quæ Regionum immunitates nihil aliud sunt, nisi ædibus Legatorum competens immunitas ad circumiacentes regiones & omnes quas complectuntur ædes extensa, Gallicé, *Droit des Franchises, Franchise des Quartiers.* Jus illud Hispaniarum Rex Legatis consentientibus ad ædium limina restrinxit. INNOCENTIO XI., qui licentiam ex illis Legatorum immodicis immunitatis profluentem Romæ reprimere voluit, res non ita ex votu successit. Moris est Romæ, ut Legatorum gentiles diebus pompæ comitatum eorum augeant; commoditatis igitur caussa illi habitationem suam haud remote a Legatorum ædibus collocant. Cum vero in tutelam suam Legati illos receperint; facile intelligitur, qui fieri potuerit, ut Legatorum ædibus inhærens immunitas sese sensim quoquaversum ita dilataverit, ut tandem regiones integras vicosque totos amplexa fuerit. Quin & eo licentia progressum, ut præter gentiles Legati alii quicunque, Romani ipsi impunitate proposita electi in illa fortunata loca maximo numero commigraverint. Cum vero Legati semper sint multi, qui Romæ agunt; difficile est descripsi, quot & quanta exinde incommoda profluxerint. INNOCENTIUS XI. potestatem suam hac ratione ita coarctari ægerrime videns, jura sua vindicare, & grassantibus malis simul mederi cupiebat. Legatis desiderium suum proposuit. Cæsareus & Hispаниcus jure suo cesserunt, si cederet etiam Gallus. Hic vero postulationem superbe rejecit. Inde continuo turba ille oriuntur & contentiones, quarum progressum extumque si scire cupias, omnes hujus temporis Historici ea tibi prolixè enarrata suppeditabunt. Facile autem ex dictis pater, illas regionem immunitates nullam in J. G. N. rationem habere. Sed usurpationibus potius, si verum dicendum, quas suggestit improbitas, potentia vero protexit, originem suam debet extensio illa immunitatis Legatorum ædibus competens. Specialiora dabit Celeb. CHRIST. THOMASIUS in Diss. *De Ju-
re Asy-*

*re Asyli Legatorum adibus competente. Quam tamen legi nol-
lem sine grano salis.*

§. LIV.

*Jure talionis interfici vel male tractari nequit Le-
gatus ab eo veniens, qui tale quid patravit (x). Jus ta-
lionis malum malo posse referri ante constituit, & ejus,
quod mihi in alterum me lalentem licet, mensuram
decernit id præcise & physico sensu, quod ipse in me
fuit exsecutus. Enimvero utrumque genuinis J. N.
principiis adversatur (y). Nullo modo igitur a jure ta-
lionis derivari potest jus Legatum alterius, qui nostrum
male habuit vel interfecit, pari modo tractandi.*

§. LV.

Jam quæres forsan, an vis, quam ex capite ta-
lionis in Legatum exercere prohibet J. G. N., legitima
non evadat, si Repressiarum nomine usurpetur? Quæsti-
onem hanc nullo negotio solves, si modo animum illis,
quæ supra de privilegiis ad Legatorum personam pro-
priam extensis differimus, intendere velis (§. 37.).
Securitatem Legatorum ibi ejusmodi argumentis asser-
tam videbis, ut cum illa *repressalia adversus Legatos exer-
cite* consistere minime queant; quæ igitur Juri G. N.
aperte adversantur.

Scholion. Sed Legatus, regeris, in hæc omnia consentit, statim atque in alterius ditionem ingressus fuit. Non igitur queri amplius potest, si postea ut læsiones a Domino suo illi, ad quem missus est, illatae refarciantur, durius quid re-
pressiarum nomine in illum fiat, vel quidem occidatur, si
injuria ea sit, ob quam ejusmodi retorsio alioqui justa foret.
Sed hæc infirmissime stare ipse videbis, quamprimum expeditissimum J. N. principium, neminem nempe in alterum jus
sui

(x) GROTIUS J. B. & P. L. II. C. XVIII. §. VII.

(y) ILL. WOLFE, *Jur. N. P. I.* §. 809. 1059.

sui destruictivum conferre posse (z), illis oppones. Illius enim adspectu illico corrueant. Quid autem de hominibus & vasis Legati juris sit, ex dictis te manu tenere existimo. Si tamen mihi credas, quoad homines & res ad Legatum spectantes distinguas, utrum propter Legationem ea in alterius regione secum habeat Legatus, an vero ibi nithilominus facient licet Legationem non suscepisset? Priori enim in causa Repressalias in homines & res Legati injustas declaro, secus vero in posteriori (§. 37.). Ceterum illud Consulum Romanorum (a), *illo te metu, Hannō, fides Civitatis nostra liberat*, priscam adhuc anima Romanorum magnitudinem spirat, simulque eorum religione in J. G. observando exemplum illustre exhibet. Verebatur Carthaginensis Legatus, ne perfidiae civium erga Romanos Legatos poenæ in caput suum reciderent. Sed generoso diēto animum perurbarum reficiunt Consules. Hic mores barbaros dediscere discant ætatis, quæ moratio rem se dicit, Principes, & eorum, quæ haud raro suggestus animus irarum vindictæque plenus, turpitudinem in his R. C. præclaris verbis tanquam in speculo cernant. Sapientissima Venetorum Respublica eandem animi moderationem & æquitatem demonstravit erga Legatum, quem ad eam Insula Cypræ repetendæ causa misserat SELIMUS Turcarum Imperator. Ille enim sibi metuens, saltem a populi vindicta, quod Constantinopoli captivus detineretur Reipublicæ Legatus, ad hanc præclaram Senatus orationem animos recepit; *ne timeatis, Respublica nostra reprimere potest subditorum in personam Legati nefarios ausus; sacra illa temerari nunquam passa est, tuto per viam, qua venisti, in patriam redibis* (b). Rationes adductæ & duo illa sapientissimarum Rerumpub. exempla repressalarum in Legatum exercitarum in justinam fatis superque ob oculos ponunt. Frustrane igitur impendisse operam mihi viderit HERMAN. KIRCHNERUS exceptionem a casu, quo per repressalias injuria Legato nostro facta vindicatur, faciendam contendens (c). Eti qui-dam millia Principum, qui eas repressalias exercuere, exem-

I

pla

(z) Id. §. 349. 744. (a) VALER. MAXIM. L. VI. C. 6.
n. 2. (b) M. de WICQUEFORT. I. c. S. XXIX. p.
619. (c) Diff. de Legato L. II. C. I.

pla adducerentur; nedum illa sententia, quam refelli, firmandæ inservirent, quin & tot, meo judicio, in lucem protraherentur illorum Principum facinora.

S. LVI.

Iisdem Juris N. & G. principiis (§. 37.) subnixi Legato, exorto inter eum, apud quem degit, & mittentem bello, jus remanendi, donec illi dimissio denuncietur, tribuimus, simul atque jus exigendi, ut haud minimum imminuta securitate incolumis remittatur, & id equidem nullo habito discrimine, an tempore vel ad negotia pacis fuerit missus, an vero tempore belli, vel causam ad bellum spectantem habeat Legatio (*d*). *Nomen itaque Legati ejusmodi esse debet, quod non modo inter sociorum jura, sed etiam inter hostium tela incolunt versetur, quemadmodum jam præclare observavit Romanorum eloquentissimus simul ac optimus Philosophus, CICERO* (*e*).

S. LVII.

Ex Jure Publico Universali discimus pactum, quo vinculum subjectionis continetur, inferre obligationem, subditos ad strenuam saluti publicæ pro virili promovendæ operam navandum, obstringentem. Quam obligationem primariam necessario consequitur altera, vi cuius civis quilibet tenetur ante alterius Reipublicæ commoda illius, cui adstrictus est, bonum ponere (*f*). Jam vero adverissima plerumque sunt Reipublicæ, ad quam Legatus mittitur, & mittentis consilia. Quocirca facile quis perspiciet, Legati munus, cuius finis pri-

(*d*) V. A. CORN. van BYNCKERSH. I. c. C. XXII. p. 534.
Cujus tamen sententia integra sicut & omnibus ibidem dictis adsentiri nequeo. (*e*) Verrinar. VI. Cap. 13.

(*f*) Ill. WOLF. Politic. P. II. C. I. §. 215. 219.

primus est negotiorum commissorum ad felicem exitum perductio, & civis conditionem non bene in eodem subiecto simul subsistere posse. Quin quanquam ex accidenti pugnantes non essent utritusque Reipub. rationes, haec duae personae se se tamen nihilominus excludebant. Studii enim propensioris in bonum Reipub. suæ, quod civis, & animi Principalis rebus faventioris, quem Legatus habere tenet, unus idemque homo simul capax non est. Si vero haec remittas, bonum civem fiducia Legatum simul hac ratione destruis; personam moralem comminisceris, quæ, propter naturam contradictione implicitam, est incomprehensibilis. Verum enimvero pugnantia velle non censemur Respublica vel ejus Rector, qui Legatum extraneum admittit, qui que præterea facile subiectum, minime vero Legationis nexum solvere valer. Hinc tu quicunque æquus & intelligens harum rerum arbiter agnosce mecum insuperabilem hujuscce consequentia validitatem: *Principem nempe, subditum suum ut Reipublicæ alterius Legatum, admittentem eo ipso in subjectionis, quo ille ipsi obstringitur, vinculi solutionem, una & in ejus in alterius imperium transitionem, tacite consensisse esse censendam.*

§. LVIII.

Forum, cui præst Imperans, esse Forum competens subditi, quemque autem coram Foro competente esse conveniendum, accusandum, excutiendum, iudicandum, exsequendum, puniendum, ad res expeditissimæ veritatis referimus. Hinc vero sponte sua promanare vides: *omnium eorum reliquorum utriusque Jurisdictionis actuum respectu Forum Principalis esse Forum competens Legati ad Principem suum missi* (§. 57. 25.).

Scholion. Celebratissima quæstio semper fuit, & quæ in contraria studia clarissimos in hoc arguento scriptores scidit, an nempe Legati ad Principes suos missi Jurisdictioni loci subjaceant, vel jus domum revocandi ut cœteri habeant? Hinc & inde illustria nomina stare videbis. Hanc vero controversiam illustrare præsertim misera WICQUEFORTIE fata. Ille enim Gallus, sed narivitatis sorte Hollandiae subditus factus, ut Relidens DUCIS LUNEBURGENSIS Hagæ agebar. Cum vero propter quædam cum exteris litterarum commercia in suspicionem proditionis venisset, jussu Curiæ Hollandicæ apprehensus fuit, & post severam inquisitionem, ordine judicario in eum factam, sententia ejusdem Curiæ, Legati jura frustra reclamans, 20. Dec. 1675. ad perpetuos carceres, publicaris bonis, damnatus est (g). Hæc fuit ipsi occasio de Legationibus scribendi. Facile autem est ad conjectandum, eum non omisisse quæstionem, an Legatus ad Principem missus declinare tamen judicium loci possit, jusque domum Principalis revocandi habeat? Illam integro Capite tractat (b). Ibi autem affirmantem amplectitur, & ingenti conatu animique contentionе omnia ad eam stabilendam tentat & adhibet. Plurimas earum, quas adducit, rationes ratiuncularum potius nomine, quo eas insignit V. A. CORN. van BYNCKERSH. (i), dignas esse ingenue fateor. Magis etiam propriis, quam ejus argumentis motus, huic sententiæ me adjunxi. Cœterum cum causa Gentes omnes spectans etiam nullum præter universale Genium Tribunal adgnoscat, nulla præjudicia hic facere possunt duo Ordinum Generalium Edicta, a BYNCKERSHOEKIO (k), qui hic dissentit, adducta. Id voluisse V. C. non etiam facile crederem. Quod vero Rex Franciæ reſte M. de CALLIBERES (l), & ad ejus exemplum Ordines Federati Belgii, A. laudato referente (m), subditi suis interdixerint apud ipsos Legatione fungi, id videtur mihi argumentum haud contemendum sententiæ, quam hic defendo, confirmandæ suggerere. Etenim

(g) *Reflexions sur le Procès fait au Sieur de WICQUEFORT.*

(b) c. l. Sect. XI. (i) c. l. C. XI. p. 485. (k) c. l.

p. 487. 489. (l) l. c. Ch. VI. p. 72. (m) l. c. p. f. 409.

Etenim quid erat cur interdictiones illæ fierent, si subjectio-
nis nexus cum Legationis officiis amica societate in eodem sub-
jecto subsistere posset? Nonne potius, quod a Legato subdi-
tum extingui animadversum, iactura civium per illas interdi-
ctiones obviam itum voluere? Audio etiam Moscorum ad Dan-
tiscanam Rempub. hodieque Legatum cum civis & magistratus
ibi antea fuisse, sumpta Legatione illico relationes illas exuisse.

§. LIX.

Hinc si Legatus subditos ejus, apud quem agit,
sibi adsciscat famulos vel officiales, illo sciente tamen
non refragante, Jurisdictione sua illos eximi voluisse
cenetur eorum Princeps, ita ut iam idem nanciscantur
Forum, cui coeteri Legati homines subjacent, itaque
Forum ipsius Legati (§. 43. 57.).

Scholion. WICQUERTIUS idem censuit; quod non
mireris, si archissimam casus hujus a præcedente dependentiam
consideres. Enimvero BYNCERSHORCKIUM huic senten-
tia adstipularem esse, qui dissentit in altera, id est sane quod
mirandum mihi videtur. Argumentum enim, quod ex fami-
liae indole dicit, Quirites quidem movere posset, sed vehemen-
ter dubito, an illud pariter fese Gentibus probaturum sit. Equi-
dem homines illos, qui se sponte, & domino non dissentiente,
Legati ministerio addicunt, tanquam cives parrium solum ver-
tentes spectare debemus, & qui in alia Republ. lares domici-
liumque figunt. De illorum autem Foro competente nullum
est dubium. Nexus subjectitii extinctio in illis ob oculos cla-
rissime objicitur. Sed eadem evidenter casui nostro radiabit,
si modo scribi paulo ad superiora animum intendere velimus.
Intelligentiam nostram hic maxime adjuvabunt exempla, in quib[us] independentiam Legationis in universum a potestate loci
Principis clare intueri poterimus. Mirum in modum id præ-
stare mihi videtur factum LOCKHARTI Anglici ad LUNOVICUM
XIV. Legati. Ille inter famulos, Gallos habebat satis multis.
Unus ex ipsis gravissime ægrorans mundo absque Eucharistiæ
sacra viatico valedicendum non putavit. Vocat igitur sacer-
dotem. Hic quasi Legati Religioni insultare veller, omnem

papalem apparatum adhibendum voluit, siveque magna pompa strepituque religioso illo ad Legati domum accessit. **LOCKHARTUS**, Vir animosus, horum insolentiam indignatur, juberque aedium januas illi occludi. Homines vero qui Dei illius portatilis custodiam agebant, irascuntur, & furore pio perciti ingressum violentum parant. Tunc Legatus officium & famulos armat, & primum vim forti explosione excipi jubet. Sed metus invadit superstitionis turbam, & sacer eorum **Dux** maluit, famulum Gallum, quam se, aeternum iter absque viatico facere. Interea querimonias ad Regem gravissimas derulit Legatus, aedium immunitates, Principis majestatem religionemque publice contemnam fuisse dixit. Pietas Monarchæ ægerrime tulit factum illud **LOCKHARTI**, ferre tamen debuit. Legato solum significavit **LUDOVICUS**, se jam irreductum, ne quisquam subditorum posthec in ejus ministerio esset. Ille vero domum reversus Gallos omnes, qui iam in officio, quam in familiario suo erant, dimisit (n). Ex hoc facto simul & Regis dictis jam dilucidius cerni posse arbitror, dependentiam nexumque omnem cum Repub. sua amittere subditos, qui, ea haud dissentiente, Legati homines fiunt.

§. LX.

His autem omnibus jam premissis, si dicam nunc, Legatum in aedibus cum hominibus rebusque suis omnibus Rempublicam quandam in minori representare, Territorii, intra cuius fines physice constituitur, Domini respectu liberam, hoc sane nemini, qui antecedentia lectione attenta dignatus est, obscurum paradoxumve fore confido. Si igitur plures diversarum Gentium Legati ad eundem Principem missi fuere, unaque apud eum degant; singuli tunc inter se, & omnes ejus, apud quem agunt, respectu spectandi erunt, fictione Juri G. maxime conformi, tanquam tot peculiares ac independentes Respublicæ, quæ saltem in uno eodem que

(n) **BURNET** *Mémoires pour servir à l'Histoire de la Grande Bretagne*. T. II. L. II. p. 117.

que Territorio existunt. Enimvero Legibus J. G. duntaxat Republicæ liberæ reguntur (§. 1.). Hinc vi- des ex J. G. purissimis fontibus prono consecutionis al- veo istam manare legem: *Si, nimirum, lites inter di- versorum Principum Legatos exoriantur, illas ad solius J. Gentium ductum esse executiendas & componendas, ne- quaquam vero constituto Judicio vel alio quovis modo hi- sice sese jure immixtum Principem, ad quem altercan- tes Legati missi fuerent.*

Scholion. At enim Ordinum Generalium Decreto An. 1660. 25. Jun. ad Moscici Legati postulatum. Justitiae officia- les milribus stipati B. T. I. Residentis Polonici ædes ingressi sunt; & Moscici Legati hominem, qui, ut ille dicebat, in eas sese re- ceperat, exquisiverunt (o). BYNCKERSH. Vir summo inge- nio & doctrina nihil in illa vi reprehendendum invenit, Decre- tum approbat, cui adhuc aliud simile, quod alia occasione edi- derunt iudicem Ordines Generales, addit (p). Sed quamvis exempla & autoritatem non prouersus rejiciamus, hinc tamen ju- ris probationem confici posse, nequaquam puto. Quin etiam illis, si cum veritatibus, qua me convicerunt conciliari ne- queunt, ne minimum quidem tribuo. ESTRADII & BATTE- VILLII acerrima Londini certatio, cui, cum Legione militum, sed spectandi tantum causa, adstituit Dux EBORACENSIS, exemplum in contrarium nobis suppeditat. Verum hæc mit- to, hoc armorum genere ægre pugnans. Coeretur juxta fir- matum principium nullo negotio alia hic occurrentes quæstio- nes deciduntur. Quis v. c. Judicis vices J. G. sustineat, si in- ter Principis loci & Legati homines excitentur rixæ? Quid si in- ter diversorum Legatorum homines? Verum hæc sæpius ex- pactis, quam Jure G. N. inter Legatos fuerunt expedita. Exi- stimarunt enim, ad lites præcavendas & multa inde consequen- tia mala, quæ in primis congressuum negotiis remoram inji- ciunt, avertenda non sufficere J. G. N. Quapropter etiam de Legatorum hominibus semper cautum fuit in placitis, quæ ini- tio Con-

(o) WICQUEPORT. I. c. Sect. XXVIII. p. 602.

(p) c. l. C. XXI. p. 549.

tio Congressuum, de rebus Iurium feracibus, omnium Legatorum consensu confici solent (q).

S. LXI.

Si Legatus Jurisdictioni ejus, ad quem mittitur, personam actionesve suas subjicere vellit; ipse Principalis sui majestatem graviter offendaret, & absque ejus injuria Princeps, cui renuntiatio fit, illam neque accipere, nemus exerceret poterit. Etenim J. G. N. Characterem representativum habet Legatus (§. 15.) vi cuius expressam majestatis Principalis imaginem gerit (§. 14. 13.). Si igitur personam actionesque suas Jurisdictioni ejus, ad quem mittitur, subjicere veller, quisque facile intelligit illum ejusmodi facinus moliri, quo Principalis sui majestas, independentia in primis glorians, haud leviter obscuraretur, atque despiceretur. Quem ausum gravem mittentis majestatis offensionem involvere, luce meridiana clarius elucescit. Q. E. U.

Quoniam porro Legatus nullo facto suo, ob jus mittentis, sub Jurisdictionem ejus, ad quem mittitur, venire potest.

(q) Quomodo hæc Monasterii & Neomagi definita fuerint, exponit WICQUEFORTIUS l. c. De Conventibus Ultrajectinis vid. M. de LAMBERTI *Mémoires* &c. T. VII. p. 8. seq. Et tandem de Congressu Cameracensi M. ROUSSET *Recueil Historique d'Actes* &c. T. III. p. 418. seq. In collectione Lambertiana l. c. p. 195. seq. ex documentis exhibetur *Historia contentionis*, cui duorum Franciæ & Fœderati Belgii cum plena potestate ad Ultrajectinos Conventus Legatorum famuli ansam dederant. Quæ cum initio res exilissimi momenti esset, posthac adeo gravis evalit, ut Comes RECHTERENUS, Vir Generosissimus, qui de patria per longos annos præclare meritus fuerat, Characterem suum depofuerit, ne inde forsitan rumperentur omnino Conventus. Galli enim prætextu illo ad negotia remoranda utebantur; cum vera causa postea apparuerit.

potest (§. 26.) ; nullum etiam Jurisdictionis loci Domino
Jus in personam & actiones Legati per subjectionem illam
voluntariam ejus acquiri potuit. Manebit igitur, ea renun-
ciatione non obstante, integrum mittentis jus. Illud itaque
læderet aperte loci Princeps, qui spuria illa cessione nixus
Jurisdictionis actus quoscunque in Legati personam a-
ctionesve exerceret, adeoque ea re injuriam isti inferret.

Q. E. D.

Scholion. Raro equidem accidit, Legatum quid hujus-
modi adversus Reipub., quæ eum misit, maiestatem committere.
Puto etiam casus raritatem effecisse, ut pauci inter eos, qui de Le-
gatione jure scriperunt, quætionem expenderint, an Legatus
Jurisdictionem Territorii, ubi degit, Domini in se prorogare pos-
sit? Speciem tamen inaudiram non esse testatur gravissimus A.
Corn. van BYNCERSH, referens (r), renunciationem non sim-
plici vice a Legatis esse factam, eo fine nempe & effectu, ut in eos
jus dicere: supremus Hollandiae Senatus. V. ipse A. in eam, quam
amplexi sumus, sententiam, paululum tamen anceps, inclinare vi-
detur. Quid & quomodo præcise ille in hac causa fenserit, malo
ex ejus, quam meis verbis judicari. Hæc autem sunt ejus verba,
quæ exemplis relatis subjungit: „Ego vero, quidquid earum re-“
rum sit, non ausim dicere, Legatum inconsulto Principe juri suo “
renunciare posse. Ad quid enim Legatorum privilegia, quam ut “
ipsi Principibus suis magis utiles sint, & eorum Legatio nulla re “
impeditur? Magis igitur hæc privilegia pertinent ad causam “
Principis, quam ipsius Legati; sibi renunciatione sua Legatus “
nocere potest, Principi non potest. Atque ita, consulta ratione, “
forte dicendum est, Legatum in causa delicti nunquam privile-“
gio fori renunciare posse, in causa civili non aliter, quam ut ad-“
versus eum jus dicatur, non ut sententia executioni mandetur, “
si quid per eam impeditur Legatio, ut in causa criminali tan-“
tum non semper impeditri solet. Sed ad manum non sunt ea Gen-“
tium exempla, ut ex Jure G. ea de re possim constituere, Rationi, “
quam dixi, argumentum præberet l. 24. I. ult. ff. de Judic. Ex po-
steriore hujuscæ sententiæ parte videre licet, quid obstiterit, ne
Vir perspicacissimus judicio hic considereret, nihil sane aliud, nisi

K

illa,

(r) d. Tr. C. XXIII. p. 559. 560.

illa, quam de J. G. indeo animo præconceperat, opinio. Illi enim, *Jus G. nihil est, nisi præsumptio secundum consuetudinem* (s). Quoniam vero exemplorum ea non sufficeret copia, ut consuetudo Gentium hinc confici, earumque consensus præsumptio inde fieri posset; ideo vifum est A. C. Jus G. hac parte nihil certi definire. Ceterum judicio adducto de Jurisdictione in Legatum prorogata, omnino adsensum præbeo, si modo a quibusdam discedas, quæ mihi paullo magis Romana in eo videntur. Negans quæstionis propositæ sententia stat igitur firmissimo ratio. Principium vero generale, quo tota consequentia nititur, egregie stabilium reperies apud Virum, quem nunquam satis pro dignitate suspiciam, & ob multa ejus eximie de me merita diligam, Ill. ULRIC. CRAMERUM in solidissima Diss. de *Jurisdictione prorogata*. Ibi jCtus summus inter alia de optima nota plurima §. 40. in specie ex principiis naturalibus ostendit, *Jurisdictionem prorogatam non subsistere, quatenus in prejudicium tertii tendit*. Præjudicio vero Reipublicentis vertere hanc Jurisdictionis loci in Legatum prorogationem, illa inconsulta factam, animum cuiusque jam subire arbitror. Et quoniam Legationis homines & vaſa eodem jure, quo Legatus, censenda sunt (§. 43.), tacitæ quoque lectoris attenti cogitationi jam subjici autumo, quid de prorogatione Jurisdictionis loci in Legationis homines & vaſa sit statuendum.

§. LXII.

Jam autem omnia, quæ haec tenus de Legatorum immunitatibus oratione satis prolixa persecuti sumus, Legationi tam arcte adhaescunt, ut salvo Jure G. N. ab illa divelli minime possint. Qui igitur Legatos admittit, licet expresse in id non consenserit, ut illis juribus uterentur Legati, quia tamen ille idem, quod J. G. N. sancit, velle censetur, ejus necessario etiam hic intercedere debuit consensus tacitus (t). Enimvero eadem in Jure tacitæ ac exprefſæ vo-

(s) d. Tr. C. XIX. p. m. 540. (t) GROTIUS l. c. §. V.
his verbis inchoat: *Ea vero, quam dixi, lex, de vi Legatis
non inferenda, intelligenda eam obligare, ad quem missa est Le-
gatio, atque ita deum si admisi, quasi scil. ab eo tempore tacita
paſſio intercesserit.*

se voluntatis vis est (u), ita ut æque perfectum sit jus ex ilia enascens, quam illud, quod in hac originem suam habet (v). *Juri itaque G. N. conformiter Legato a primo admis-
sionis momento omnia in universum perfecte cedunt jura, que
natura complectitur Legatio.*

§. LXIII.

Quamobrem cum jura Legationi natura adhærentia violaret Princeps, qui Legatis semel admissis quemcunque Jurisdictionis actum in eos eorumque homines, ædes & vasa exerceret, & quidem licet hoc ex consensu Legati, inconsulto tamen Principe, faceret (§. 23. 38. 44. 54. 58. 59. 61.); qui præterea adversus prædictas personas & res violenti quid admitteret, ad id necessitate præsenti non adactus (§. 32. 44. 45. 48. 51. 52. 54. 55. 56.) ideo quoque idem Princeps jus perfectum, non mittentis solum, sed Legati etiam (§. 37. 62.) violasse censendus. Jam vero injuria ex juris perfecti violatione nascens justa est belli suscipiendo causa (x). Hinc facile mecum quicunque consequentiae legum vel tantillum intelligens colligit: *Principem, qui prædicta committit, seu, quod perinde est, qui quoconque modo Legatorum inviolabilitatem ac sanctimoniam laedit, ju-
stam hanc re belli suscipiendo causam suppeditare Populo mit-
tenti ipsi que Legato.*

Scholion. Rara, ais, sunt bellorum exempla, quibus Legationis violatio causam dederit, idque mirandum non putas, quium pietas ac prudentia vetent unius hominis causa tot tantaque obire pericula, quæ comitantur bellum, & innoxium tot civium sanguinem effundere. Supervacaneum est ligatur hoc theorema, quin magis plium forsitan fuisset, illo abstinere. Sed oblivisceris credo amice; me Dissertationem Juridicam scribere voluisse, minime vero concessionem sacram vel politicam orationem. Pra-
terea

K 2

(u) ill. WOLFE. *Phil. pract. univ.* P. I. §. 662. (v) id.
Jur. N. P. I. §. 908. (x) GROTIUS J. B. & P. L. II.
C. I. §. 1. n. 4. WOLFF. *Jur. N. P. I.* §. 1109.

terea evolve quo^{do} temporum Historias; exempla ibi satis multa invenies bellorum, quæ Gentes M. j. statem suam in persona Legatorum læsam vindicandi causa suscepserunt. Causam autem illam minime pro levi habebis, si consideres, non tantum hic Reipub. mittentis interesse, ut n^emp^e dignitas sua ipsi integra maneat, & securitas in nullum adducatur discrimen, verum etiam Gentium maximam in eo vertere utilitatem, ut ab omnibus formidinibus Legationum obitio libereatur. Hæc vero quomodo obtineri poterunt, nisi bello plectantur Legationum violatores. Nobili autem exemplo præavit Regum Sanctissimus D^AVID, qui ob Legatos suos ab Ammonitis violatos bellum adversus illos gessit. Si veteris ætatis exempla desideres, satis tibi faciet G^RO^TI^S (y). Quod ad recentiorem ætatem, recordare quo^{do}, quam prope abfuerit, quin novissime Lusitanos inter & Hispanos hoc nomine grave exarduerit bellum. Turcarum tantum barbarici condonantur facinorosi in Legatorum immunitates ausus. Diceres, eos in quasi possessione esse ea sacra temerandi. LUDOVICUS XIV. tam altos spiritus gerens, multas tamen indignatas, quibus ibi vario tempore adfecti sunt ipsius Legati, cernere & perferre cogebatur. Tantum est de Legatorum exemptione a Foro Criminali ejus ad quem missi sunt. Existimo me omnes, præfiscine dixerim, casus attigisse, qui momentum aliquod habentes ad hoc argumentum pertinenit. Si tamen quidam curam meam effugerint, illos ex traditis principiis facili negotio decidi posse confido.

(y) *Jur. B. & P. l. c. §. XI. n. 9.* vid. etiam MEZERAY *Histoire de France* Tom. VI. p. 246.

F I N I S.

EMENDANDA.

- P. 6. l. 4. leg. Plenipotentiaires. p. 18. l. 1. leg. Cærimoniali p. 24.
l. 4. 5. l. autumarunt, ibid. l. 6. leg. incidere. p. 26. l. 1. l. sibi
non temperat, p. 26. l. 7. l. Principis loci, ubi. p. 27. l. 12. l.
Pobeissance.

ULB Halle
007 769 113

3



1018

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Farbkarte #13

Cyan

Blue



Gent. 4. num. 30. ~~1750. 12~~
DISSERTATIO JURIS GENTIUM INAUGURALIS,
DE
**EXEMPTIONE
LEGATORUM,**
^A
FORO CRIMINALI
^{EJUS}
AD QUEM MISSI SUNT,
QUAM
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA
SUB AUSPICIIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI SERENISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,
DN. FRIDERICI,
HASSIÆ LANDGRAVII RELIQ.
AUTORITATE ET DECRETO
INCLYTI JURISCONSULTORUM ORDINIS
IN
ILLUSTRI ACADEMIA MARBURGENSI
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
ET PRIVILEGIA RITE OBTINENDI
MAGNIFICI SENATUS ACADEMICI
EXAMINI PUBLICO
AD DIEM I. DEC. A. cI^o CCC XL.
SUBMITTET
ABRAH. DANIEL CLAVEL DE BRENNES,
LAUSANNENSIS.

MARBURGI CATTORUM,
TYPIS PHIL. CASIM. MULLER, Acad. TYPOGR.

KENFRIED
UNIVERS.
ZVHALLE

